NARRATIONIS AMATORIAE FRAGMENTUM È GRAECO IN LATINUM...

Achilles Tatius, Ludovico Annibale Della Croce

DIEGO HVRTADO DE MENDOZA, CAROLI CAES. AVG. CONSILIA-

rio, atque apud Senatum Venetum Oratori eloquentiß.

L. ANNIBAL CRVCEIVS S. P. D.

EX IIS *calamitatibus, quas mille abhinc annis exterarum gentium furor, atque immanitas, in Italiam totam inuexit: nulla, meo quidē iudicio, aut maior, aut nocentior habenda est ea, quam literarū ſtudijs allatam fuiſſe ſcimus.* Nam ut *fateamur maximam extitiſſe iacturam, agrorum uaſtitates, oppidorum depopulationes, demolitiones urbium, incolarum aut indigniſsimam ſeruitutem, aut crudeliſsimam cædem: (ut interim ſacrorū, profanorumq; omnium euerſionem omittam) eiuſmodi tamen clades cum ea non ſunt comparandæ, quam literaria res accepit.* Hæc enim *quæ ſupra recenſuimus, omnia, ſi nō continuò, at aliquo tamen temporis interiecto ſpatio inſtaurari, priſtinumq; nitorem recipere poſſunt. Quòd ſi priuatim commemo-*

rare aliqua uellem: clarißimas urbeis olim penè funditus euersas antiquum, aut etiam meliorem in statum restitutas esse, facilè fuerit ostendisse: uerùm longè nimis oratio mea proueheretur. At literarum quæ tandem futura instauratio? quæ tot deperditorum uoluminum recuperandorum spes? Nulla certè. Quorum amißione quanta rerum ignoratio, quanta caligo, quantæ mortalium mentibus tenebræ obortæ sint, facilius profectò deplorare cuiuis liceat, quàm recensere: tametsi nescio quæ tantæ calamitati satis futura sit deploratio. Cùm enim Poëtarum, Oratorum, Philosophorum, Historicorum, Rhetorum, aliorumq; scriptorum innumerabilia propemodum uolumina magnis uigilijs, maiore industria, maxima mortalium omnium cùm uoluptate, tum fructu elaborata, sint intercepta: quis tantam iacturam perpetuò dolendam non arbitretur? Sed hæc mediocriter saltem ferenda essent: si, quæ habemus, ueterũ auctorum scripta integra, emendataq; ad nos peruenissent. Quotus enim quisque est è priscis auctoribus, quos tantis è cladibus reliquos esse uoluit fortuna: qui, si reuiuiscat, sua scripta sit recogniturus? Neque uerò Latinos tantum scriptores, sed Græcos etiam pestis hæc inuasit. Alios enim penitus sustulit, nõnullos decurtauit, plerosque ita deformauit, ac corrupit, ut foedius uideri, aut excogitari nequeat quicquam. Quod, cùm alijs multis, tum uerò libello huic (si parua magnis conferre fas est) euenisse manifestius est, quàm ut probatione indigeat. Cuius non solùm partem maiorem, uerùm etiam auctoris nomen desideramus: quanquam, si coniecturas sequi uolumus, libelli auctor uideri poßit Clitophon is, sub cuius persona res tota in hisce postremis libris (siue fabula ea sit, siue historia) explicatur.

Sed

Sed ego hac de re, utpote incerta, pluribus agere nolo. Tantùm dico, uideri mihi libelli eius auctorem fuisse Sophistam aliquem ex ijs, quos multos olim habuit Græcia. Quod ut suspicer, faciunt conciones illæ, quæ libro ultimo leguntur. Porrò scriptoris huius copiam mihi fecit Octauius Ferrarius amicus, & pernecessarius meus: quem ego honoris causa nomino. Est enim uir cum Græcè, Latineq́; doctissimus, tum in philosophiæ, ac medicinæ studijs ita uersatus, ut quem cum eo cõferam, hoc tempore habeam neminem. Atque id eò fecit, ut cùm Græcis & ipse literis operam nauare cœpissem, eo libello uterer, cuius & stili facilitas, & argumenti festiuitas grauioribus lectionibus defessum animum relaxarent. Itaq; feci: & libellum è Græco in Latinum conuerti, non quidem edendi, sed mei exercendi causa. Cæterùm cùm ex interuallo eum iam Latinum factum regustarem, uisus sum mihi, nescio an itidem alijs, operam non malè collocasse. Accessit uerò etiam nonnullorum commendatio, quorum iudicium non in postremis habendum puto. Quamobrem illum uulgò legendum proponere statui. Sed cum obtrectatorum, inuidorumq; plena sint omnia: necessariò mihi quærendus uir fuit, cuius auctoritate fretus, eorum maledicentiæ obuiam ire possem. È multis igitur, qui mihi sese offerebant, tu unus, non tantùm ob personam, quam sustines, quantum ob generis claritatem, summam doctrinam, acre iudicium, ac singularem prudentiam tuam, ad hanc rem iudicatus es aptissimus. Non me fugit, si aliorum, qui libellos nuncupant, institutum sequi uelim, occasionem pulcherrimam dari mihi, qua laudum tuarum patentissimum ingrediar campum.

Verùm cùm adulationis suspicione hac in re carere non posse uidear: abstinere satius esse duxi: quanquam non id tam me mouet, quàm res ipsæ pertractandæ: quarum magnitudine, atq; splendore caligat quodammodo mentis acies, atque hebescit. Nam quis præclarißimas patris tui uictorias, atque triumphos, quis fratris tui natu maioris egregia fortitudinis, & prudentiæ facinora bello Africano terra, mariq; edita pari oratione recensere queat? ut nihil interim de alijs dicam: quorum unus augustißimo sacerdotio præditus, unicum est religionis, & sanctitatis exemplar. Alter Indicas prouincias non sine maxima sui admiratione moderatur. Tertius Hispanicæ clasßi tanta cum felicitate præest, ut summæ hominis prudentiæ fortuna diuinitus adiuncta uideatur. Tu uerò is es, quem maximarum rerum usu peritum, summa fide, taciturnitate, constantia, integritate cum primis præditum CAROLVS CAES. AVG. *intimis consilijs suis non solùm interesse, uerùm etiam præesse, & (quod præcipuum est) apud Remp. Venetam ea, quæ ad Rom. Imperij maiestatem, ac robur pertinent, tractare uoluit. Igitur cùm ad hæc pro dignitate exequenda uires meas nequaquam pares agnoscam: dabis mihi hanc ueniam, si ea consultò prætereo. Malo enim officium hac in re meum desiderari, quàm uirtutum tuarum splendori tenebras inepta oratione offundere: interim mihi persuasum habens, te, qui tuus est candor, quid uoluerim potius, quàm quid præstiterim, spectaturum. Redeo nunc ad libellum: quem, propterea quòd decurtatus sit, argumentiq; leuioris, si qui erunt, qui grauitati tuæ minimè conuenire arbitrentur: ij memoria repetant uelim Scipionem,*

pionem, ac Lælium civeis Rom. uiros grauissimos (si referenti Ciceroni fides habeatur) conchas, & umbilicos ad Caietam, & Lucrinum legere nonnunquam, & ad omnem animi remissionem, ludumq; descendere consueuisse. Quòd si tantos uiros tam incredibiliter repuerascere non puduit: iam quis uitio det, hæc me tibi, quantumuis leuia, non minoris grauitatis uiro, offerre? quibus maximarum rerum tractatione defatigatum animum ali quando remittas: ut eo, ludo quasi quodam, ac laboris uacatione recreato, ad intermissa seria deinceps alacrior reuertaris. Illud autem minime dissimulandum putaui: ultimo narrationis huiusce libro Fistulæ formam describi: sed uerba, quibus id agitur, adeò corrupta, & mutila esse, aliorum etiam complurium, quos super ea re consului, iudicio: ut nullus inde aptus sensus elici possit. Elaboraui ego sanè quàm diligentissimè: uerùm cùm fistulæ forma longè ab illa, quæ Virgilij, Tibulli, Ouidij uersibus descripta est, diuersa excogitanda esset: malui uerba ipsa Græca suo loco adscribere, suo cuiusq; iudicio expendenda: quàm uideri aliquid temerè contra grauissimorum auctorum sententiam probare uelle. In alijs certè, quæ mendi suspicione mihi carere uisa non sunt: proptereà quòd, ut mea quidem fert opinio, facilè corrigi possent: coniecturam meam secutus sum. Nam & in cæteris ferè omnibus, non tam uerba, quàm sententias (quod ego M. Tullium, si quando in Latinum Græca conuertebat, fecisse arbitror) spectaui: quidq; auctor significare uoluerit potius, quàm quid uoces sonent, Latina oratione sum prosecutus. Quod meum consilium etsi non ab omnibus fortè probabitur: doctioribus quidem certè, ac

tui simillimis, non dubito, quin probetur. Sed longius euagari nolo: ne animi tui candore abuti uidear. Tu libellum hunc meum eo apud te loco esse sine, quo cætera nominis tui studiosorum monimenta esse consueuerunt. Quod si, ut spero, assecutus fuero: sanè uberrimum meæ erga te obseruantiæ fructum cepisse, præ me feram, iuxta poëticum illud,

Principibus placuisse uiris non ultima laus est.

Vale. Mediolani, Nonis Octobris,

M. D. XXXXIII.

NARRATIONIS AMATORIAE LIBER QVINTVS.

CONFECTO *igitur trium dierum spatio, Alexandriam naue delati sumus: mihiq; Solis, quas uocant, portis introëunti continuò mira quædam urbis pulchritudo oblata, oculos meos uoluptate cõpleuit. À Solis enim ad Lunæ usque portas (ij autem ciuitati præsunt Dij) columnarum series utrinque conspiciebatur: quarum in medio platea, multiplices usibus publicis accommodatas uias habens, pósita erat. Inde aliquot urbis stadia progressus, ad locum, cui ab Alexandro nomen est, perueni: aliamq; statim ciuitatem uidi, cuius hæc erat forma, ut quàm longus esset columnarum in rectum dispositarum ordo, tàm lõgus alius in obliquum sese intuentibus offerret. In omnes itaque uias quaquauersus oculos conuertens, neque spectando satiari, neque pulchritudinem omnem assequi poteram: cum tamen nihil prætermittere uellem. Et quanquam oculorum captum uincerent ea, quæ perspexeramus: tamen*

quæ uidenda supererant, eos etiam magis ad sese alliciebant. quamobrem uijs urbis omnibus perlustratis, cum ad omnia contemplanda sufficere acies nequiret: luminа spectando uicta mecum fateri coactus sum. Illud uerò nouum, atque incredibile mihi ante omnia uisum est. Vrbis enim amplitudo cum pulchritudine, magnitudo cum uirorum multitudine ita certabat, ut alteri cederet neutra. Nam & illa continente maior, & hæc innumerabilis erat. Porrò intuenti mihi ciuitas amplior apparebat, quàm ut habitatoribus compleri posset: populus autem tam numerosus uidebatur, ut aliquá'ne ciuitate contineri posset, dubitare cogerer: ita æquo hæc inter se Marte contendebant. Ac tum quidem magni Dei, quem Græci Iouem, Aegyptij Serapim uocant, festi dies forte fortuna celebrabantur, flammæq; paßim relucebant: quamobrem hoc quoque non uulgari admiratione dignum arbitratus sum. Vespera enim cum aduenasset, ac iam Sol occidisset, nondum tamen erat nox, sed alius minutas quasdam in parteis diuisus Sol oriebatur. Tunc urbem illam cum Cœlo pulchritudine contendere iudicaui. Milichium quinetiam Iouem, cœlesteq; illius templum uidi: cuius magnum numen cùm uenerati essemus, precatiq;, ut nobis tandem laborum finis afferretur, conductam à Menelao domum ingreßi sumus. Sed precibus nostris annuere Deus ille nequaquam uisus est: aliud nanque à fortuna discrimen nobis adhuc impendebat. Chærea enim multò antea Leucippes amore captus, ei rei clàm studebat, aditum sibi ad puellam quærens, illaq; potiri solus exoptans. Quam rem cum factu difficilem admodum cognosceret, rerumq; maritimarum non imperitus esset, ad insidias parandas animum adiecit. Ita prædonibus aliquot

sui

sui similibus collectis, quid fieri uelit, edocet: mox natalem diem agere simulans, nos ad Pharum uisendum inuitat. Igitur domo egressis nobis sinistrum in uia omen euênit: hirundinem insequens accipiter Leucippes caput ala percußit. Qua re perturbatus, cœlumq; suspiciens, quid hoc, inquam, Iupiter portenti nobis commonstras? quin potius, si tua reuera hæc est auis, aliud nobis manifestius augurium ostendis? meq; statim conuertens (forte enim prope pictoris officinam constiteramus) collocatam uideo tabellam, quæ Prognes infortunium, Terei uiolentiam, linguæ abscißionem, integram deniq; fabulæ totius explicationem continebat. In ea enim peplum, Tereus, mensa, serua explicatum peplum tenens, & quæ in eo picta erant, digito indicans Philomela cernebatur. Progne ad indicium annuebat, toruéq; intuebatur, ac picturæ tanquam irascebatur: quoniam quidem pictus illic Tereus reluctantem Philomelam obscœnè contrectabat: Quæ capillo euulso, cingulo soluto, ueste conscissa, seminudum pectus ostendebat: dexteráq; oculis admota Tereum uehementer incusabat, sinistra uerò laceram pallam mammis inducere nitebatur. Mulierem Tereus totis ad se uiribus trahebat, arctéq; complexabatur. atq; ita quidem pepli disposita erat pictura. In alia tabellæ parte mulieres in lance Tereo cœnæ reliquias, pueri scilicet caput, atque manus ostendebant, ridentes identidem, & trementes. Ille autem stricto in eas gladio insurgens, mensam brachio protrudere uidebatur: quæ nec stabat, nec cadebat: sed cadentis tamen formam referebat. Tum Menelaus, Mihi quidem, inquit, à profectione in Pharum abstinendum uidetur: duo enim aduersa nobis portenta, uolatum accipitris, & picturæ minas uides.

Monent autem prodigiorum interpretes, ne fabulas contemnamus: sed ut, si quid nobis inter agendum eueniat, ad id, quod acturi sumus, traducamus. Nonne obscœni amoris, impudentis adulterij, muliebrium infortuniorũ, malorum denique omnium plenam hanc picturam cernis? Ego quidem certè profectionem istam in aliud tempus distulerim. Sanè oratio hæc Menelai *mihi non absurda uisa est.* Chæream *itaque ualere iußi: qui tristis admodum receßit, cras ad me, inquiens, proficisci uos* » *uolo. Tunc ad me conuersa* Leucippe, (FABELLARUM *enim cupidæ sunt fœminæ) quin tu, inquit, mihi narras, quid sibi pictura hæc uelit, auesq́; istæ, & mulières, cum uiro illo impudenti? Tum ego, quos nunc, inquam, aues esse cernis, homines quondam fuere: ac mulières quidem* Prognen *scilicet, ac* Philomelam, *earum enim hæc erant nomina, sorores* Athenis *ortas fuisse, hancq́; in* Hirundinem, *illam in* Lusciniam *mutatas: uirum autem, cui* Tereo *nomen fuit, genere* Thracem, Prognesq́; *maritum, in* Vpupam *cõuersum tradunt.* Barbarorum *autem libidini, ut mihi quidem uidetur, mulier una satis non est, præsertim cùm per contumeliam cupiditatis explendæ allata sit occasio.* Prognes *igitur erga sororem pietas homini barbaro opportunitatem attulit, qua naturam suam secutus, in omni intemperantia sese effunderet. Hæc enim uirum ad sororem uisendam misit: qui cùm* Prognes *maritus abijsset,* Philomelæ *amator reuersus est: ipsamq́; sibi inter redeundum alteram* Prognen *fecit. Quod cùm resciri nollet, uiolati pudoris pretium, linguam puellæ amputauit: quanquam nihilo plus effecit: mutum enim indicem* Philomela *excogitauit, remq́; omnem, sicuti gesta fuerat, in peplo filis intexuit:*

man

manuq; linguam imitante, quæ passa esset, quando auribus immittere non poterat, ob oculos posuit. Progne uim sorori illatam ex pepli pictura cognouit: totisq;, ut aiunt, uiribus de uiro uindictam sumere aggressa est. Accersita ergo clam uiro sorore, Bacchi sacra simulantes ambæ in unum conspirant: zelotypiamq; contumeliæ miscentes, nuptialem cœnam faciunt teterrimam, in qua patri filium apponunt: nam & Progne præ indignatione matrem se esse oblita fuerat: ita zelotypiæ furor dolores, quos partus affert, omnino uincit. Quanquam enim mulieres eorum, quæ patrabant, misericordia mouebantur: tamen cùm uiderent eum, qui maritalis tori leges uiolauerat, nefarij sceleris pœnas dare: non minus certè (malum) id sibi calamitati, quàm uoluptati ducebant. Igitur postea quam Tereus furiali mēsæ accumbens epulatus est: mulieres in lance nati reliquias ridentes pariter, ac trepidantes, protulerunt. Quibus uisis hominem statim cœnæ pœnituit: natum enim sibi absumptum cognouit. Quocirca furore percitus, educto gladio, in mulieres impetum fecit. at illas in aues mutatas protinus aër suscepit: quibus cum Tereus quoque sublatus est. Facti autem illius imaginem nunc etiam seruant omnes: Luscinia enim fugit adhuc, Vpupa uerò insequitur, ut post mutationem odium quoque seruatum uideatur. Atq; hoc quidem pacto tunc insidias declinauimus, nihil quicquam assecuti, præter quàm quòd die illo in eas non incidimus. Affuit enim postridiè mane Chærea: nosq; uerecundia permoti recusare amplius ausi non sumus. Quamobrem conscensa naui ad Pharum deuenimus, uno excepto Menelao: qui, cum se non admodum ex sententia ualere diceret, illic remansit. Chærea igitur nos primùm in turrim

rim duxit: substructionemq́; imam miram quidem, & quodammodo incredibilem ostendit. Mons erat medio in mari situs, nebulas penè contingens: ipsæ autem turris radices præcipites adéo erant, ut mari uiderentur imminere. In montis summo ignis, qui quasi gubernator alius nauigantes noctu dirigat, elucet. Hæc cùm uidissemus, in domū, quæ in insulæ parte extrema ad mare posita erat, introducti fuimus: Vixq́; aduesperauerat, cùm Chærea, uentrem purgare sibi opus esse causatus, exiuit: atque haud ita multò pòst clamor improuisus ante fores auditus est: repenteq́; uiri multi, ac magni districtis gladijs irrumpentes, in puellam unà omnes impetum fecerunt. Ipse autem Leucippen meam abduci uidens, animoq́; iniquißimo id ferens, in medios enses me conieci: atque in femore uulnus accepi, graue adéo, ut curuato poplite conciderim sanguine conspersus totus, illiq́; puella scaphæ imposita impunè abierint. Cæterùm clamore, concursuq́; facto, ut in piratarum aduentu fieri consueuit, insulæ Præfectus accurrit. Erat is mihi, quòd ipso imperatore stipendia meruissem, non ignotus. Ostendi itaque uulnus, prædonesq́; ut insequeretur, obsecraui. Tum ille nauigium ex ijs, quæ multa in ciuitatis portu stationem habent, conscendens, cum ea, quæ tum fortè aderat, manu fugientes insecutus est. Quin ipse quoque ita, ut eram obligato uulnere, in nauem impetu magno delatus sum. Piratæ, & qui cum eis in Myoparone erant, simul atque nos appropinquantes iam, ac pugnæ paratos conspexerunt, puellam manibus ad tergum reuinctis in prora statuerunt: unusq́; ex eis magna uoce, EN PRAEMIA VESTRA, inquiens, miseræ illi caput abscidit: eoq́; in naui occultato, cadaueris reliquum in mare deiecit.

Quod conspicatus ipse neque lachrymis, neque clamori peperci: immò post illud in mare præcipitem me dare uolui. Verùm cùm me, qui aderant, continuissent: nauem ut inhiberent, eorumq; aliquis in mare desiliret, rogaui, si quo pacto puellæ corpus humandum recipere possem. Tum nautarum duo è naui delapsi collectum cadauer retulerunt. Piratæ interea ualidius multò remis incumbebant: quibus cùm propinquiores facti essemus, aliam illi ratem conspicati, agnitisq; qui in ea erant (erant autem purpuræ collectores piraticam exercentes) ab eis auxilium implorarunt. Quamobrem præfectus duas iam naueis conuenisse uidens extimuit, puppimq; conuerti iussit: quandoquidem illi fuga repressa iam nos ad pugnam prouocabant. Postea quàm ad littus reuersi, & è nauigio egreßi sumus, ipse mortuæ truncum amplexus ita miserè lamentari cœpi. Nunc quidem certè mihi unam, atque alteram mortem Leucippe obijsti, terra scilicet, atque mari. Ego uerò quanquam hasce corporis tui reliquias habeo, te tamen amisi: neque enim eadem est maris, atq; terræ conditio. Nam, ut mihi tui pars maior relicta sit: minor tamen, quam specie potiorem duco, adhuc desideratur: quod enim tui præcipuum fuit, parua in parte continent undæ. Sed quoniam oris tui oscula mihi fortuna inuidit, hoc certè, quod licet, iugulum tuum dissuauiabor. Hæc mecum questus, sepulturæ cadauer mandaui, Alexandriam deinde reuersus sum: ubi curatione uulneri, licet inuitè, Menelaoq; ita suadente, adhibita, sex mihi transacti sunt menses: tandemq; luctus magnitudo minui cœpit. TEMPUS ENIM mœroris asperitatem, animiq; uulnera emollit (Sol quippe hilaritatis est plenus) ægrimoniaq; quantumuis magna eatenus tantum-

modo

modo feruet, quatenus animus ægrescit: quæ tamen, si tẽporis amœnitate deliniatur, solet remitti. Cæterùm cùm semel ad forum me conferrem, superueniens mihi à tergo quidam repente manu comprehensum ad se conuertit: tacitusq; amplexus, atque dissuauiatus est. Ego tametsi quis ille esset, initio non cognoui: tamen stupefactus oscula, & salutationes excepi: ac non aliter quidem, quàm si scopus immobilis ad eas positus essem. Postea uerò faciem eius paulisper contemplatus, & præ gaudio uocem tollens (erat enim Clinia) hominem complector, paresq; amplexus reddo, ac mecum unà domum perduco: ubi ille mihi quo pacto naufragio ereptus sit, ego contrà illi de Leucippe singula commemoraui. Atque ita quidem ille, fracta, inquit, qua uehebar, naui, ad alterum protinus cornu me contuli: extremitatemq; illius, uiris iam plenam, iniectis manibus uix apprehendens, suspensus detineri conabar. Nobis autem aliquantisper æstuantibus ingens fluctus ab altera parte lignum, de quo pendebam, scopulo aquis contecto illisit: illisum aquarum impetus iterum machinæ instar reiecit: meq; perinde ac funda iactatum, excussit. Quamobrem diei reliquum, spe omni salutis penitus abiecta, transegi. Tandem fessus, fortunæq; arbitrio totum me permittens, nauem ad me uenientem conspexi, ad illamq;, quatenus concessum erat, manus tendens auxilium nutu rogaui. Qui in ea erant, siue quòd uicem meam dolerent, siue quòd eos ita uenti ferrent, ad me proram direxerunt: eorùmq; unus rudentem naue interim præterlabente, demisit: quem cum apprehendissem, illi ex ipsis me mortis faucibus eripuerunt. Porrò nauis illa Sydonem ferebatur: itaque Sydonios quosdam, qui ea uehebantur, Xenedaniam scilicet mercatorem,

eiusq;

eiusq; socerum Theophilum, non uulgari mihi familiaritate coniunctos, rogaui, ne Tyriorum alicui, si quem forte obuiam habuissent, naufragio liberatum me nuntiarent: ut ne me simul nauigaturum intelligerent. Fieri enim posse putabam, ut in obliuionem uenirem, siquidem hoc illi ignorassent: praesertim quòd iam quinq; dies effluxissent, quibus nusquam apparueram. Nam & domesticis meis (ut scis) rogantibus, me rus iturum, decemq; integros dies absfuturum esse responderam, atque hanc de me famam apud omnes inualuisse comperi. Sed & pater tuus non, nisi biduo pòst, ex Palaestina rediit: missasq; à Leucippes patre literas inuenit, altero à peregrinatione nostra die allatas: per quas ille tibi natam spondebat. Quibus lectis, ac fuga nostra cognita, uehementer animo commotus est, cum quòd te promissum per epistolam lucrum amittere uideret, tum quòd omnia in deterius labi animaduerteret. Ac quanquam ita se res habebat: tamen eorum, quae acciderant, nihil ad fratrem scribi oportere putauit. Quinetiam puellae matrem, ut rem dißimularet, obtestatus est, futurum existimans, ut uos fortè inuenirent. Neque uerò censebat è re esse infortunium huiuscemodi Sostrato innotescere, illud sibi persuasum habens uos, quoquò tandem abijssetis, futuras inter uos nuptias intellecturos, redituros q;, fugae causam non amplius palàm facere ueritos. Nunc ille quàm diligentißimè in id incubit, ut quònam profugeritis, scire poßit. Nam etiam paulò ante eos dies ex Aegypto reuersus est Tyrius Diophantes: teq; hic uidisse patri tuo significauit. Quam rem ego simul atque intellexi, nulla planè interposita mora, huc adnauigaui: diesq; hic octauus est, ex quo te quaerens urbem istam perlustro: quamobrem de patre tuo

iam iam affuturo, quid agas, etiam, atque etiam uide. Quæ cùm Clinia dixisset, *nihil aliud, quàm fortunæ inconstantiam defleui,* Me *miserum,inquiens,hoc'ne tempore mihi* Leucippen Sostratus *spondet? mihi'ne medio ex bello uxor nunc datur? diligenter certè ille dierum rationem subduxit,qui post abitum mihi uxorem dat.* O` *felicitates præpo steras,*O` *me ante unum illum diem beatum.*Nunc Leucippen *mortuam spondent: nunc,cùm mihi lugendum est, hymenæum canere parant.* Hei *mihi quam sponsam fortuna præbet:cuius ne,mortuæ quidem, integrum cadauer mihi concessum fuit.*Tum Clinia,*Minimè,inquit,nunc est conquerendi tempus: considerandum potius,præstet'ne in patriam redire,an patrem hic opperiri.*Neutrum,*inquam,placet.*Nam *qua facie illum intuear:cuius domo tam turpiter profugi: cuiusq; fratris depositum abiuraui?mihi certè nil aliud superest, nisi ut hinc prius abeam, quàm ille adsit.* Dum *hæc inter nos agerentur,* Menelaus, *&* Satyrus *ad nos ingressi sunt:* Satyrusq;,*simul ac ambo* Cliniam *amplexi, & de tota re certiores à nobis facti sunt: ad me conuersus,*Haud *contemnenda hercule,inquit,occasio tibi nunc affertur:qua facilè res tuas in tuto colloces,unàq; animi tui amore deflagrantis miserearis: nec uerò* Clinia *id clam te habendum est.*Permagnam *huic felicitatem* Venus *ostentat: sed quam ipse nihili faciendam putat: atque adèo ut scias, muliêrem* Ephesiam *eius amore flagrantem ad insaniam usque compulit,forma bona sanè, & quam,cum uideas,* Deæ *alicui similem iudices.* Meliten *eam uocant, diuitijs affluentem,atque ætate nondum satis matura.* Quæ *cùm uirum iampridem naufragio amiserit, hunc sibi dominum(non enim uirum dicam)præoptat,eiq; & se,& suas*

omneis

omneis dedit fortunas. Quid, quòd eius etiam causa duos hìc menseis consumpsit, hominem ut se sequeretur, rogans? Hic uerò eam despicit: neque, quam ob rem, sciri potest: nisi fortè Leucippen iterum sibi repertum iri sperat. Tum Clinia, Rectè, inquit, loqui Satyrus mihi uidetur. Quid enim cunctatione opus sit, ubi pulchritudo, diuitiæ, amor tibi sese offerant? Ex quibus ad uoluptates perfruendas, ad usus uitæ necessarios, atque ad existimationem tibi parandam abundè omnia suppetant. Illud uerò in postremis non est reputandum: SVPERBOS ,, meritò Dijs esse inuisos. Ego Satyro fidem habendam ,, censeo, teq; Deorum uoluntati ut permittas, suadeo. Tum ego suspirans, Agedum, inquam, duc me, quò lubet: si quidem ita Cliniæ quoque uidetur. Tantum ne muliercula hæc negocium facessat, rem ante perfici cupiens, quàm Ephesum peruenerimus. Iuraui enim mei me copiam illi nunquam facturum hìc, ubi Leucippen amisi. Quibus auditis Satyrus euestigiò ad Meliten euangelia ferens cucurrit: atque haud ita multo pòst reuersus, eam re cognita præ uoluptate exanimatam concidisse retulit: meq; ad illam eo ipso die cœnatum ire oportere, ut nuptiarum initium faceremus. Itaq; uiam ingressus ad mulierem me contuli: quæ simul ac me conspexit, obuiam progressa complexu, innumerisq; dissuauiationibus accepit. Nec erat sanè illa non formosa: nam & aspectus miram quandam præ se ferebat dignitatem, & color in uultu is erat, ut non quidem fuco illitum, sed sanguine, ac lacte diffusum diceres. Capillus ipse densus, auroq; non absimilis pendebat: itaque non insuauiter illam contemplari mihi uidebar. Intereà mensis splendidissimè extructis cœnaturi accubuimus. Melite uerò tametsi ex

ijs, quæ apposita fuerant, nonnunquam sibi aliquid assumeret: tamen nihil prorsus comedebat: sed me unum tantummodo luminibus intentis obseruabat. AMANTIBVS AVTEM *nihil æquè suaue est, atq; rem amatam intueri.* Animam *enim totam occupans amor, ipsis etiam alimentis aditum obstruit.* Quippe *uoluptas, quæ in uidendo percipitur, per oculos illapsa menti insidet: reiq; uisæ imaginem secum raptam animi speculo continenter imprimit, atque affingit: pulchritudinisq; fluxio ipsa per occultos radios in amantis pectus dimanans amatæ rei formam penitus obsignat.* Illud *igitur cùm animaduertissem: quid causæ est, inquam, quamobrem te nihil edentem cerno?* Næ *tu mihi pictis conuiuis similis uideris.* Tum *illa,* Quódnam *mihi lautius, inquit, obsoniū, quod pretiosius uinum tuo aspectu esse posse putas? protinusq; his dictis me ultrò iam oscula admittentem dissuauiata est, retrocedensq;* Tu *meum, inquit, alimentum es. ac tum quidem res ita se habuit.* Posteà *uerò quàm nox aduentauit, mulier secum me nocte illa retinere conata est.* Sed *cùm, eadem ferè quæ* Satyro *dixeram repetendo, assentiri nollem, quanquam ægrè, dimissus sum tamen: ac ea etiam lege, ut postridiè in* Isidis *conuenire= mus: ibiq;* Dea *teste de tota re, inter nos quid futurum esset, statueremus.* Affuimus *itaque* Menelao *etiam,* Cliniáq; *me comitantibus: iurauimusq́;, ego quidem perquam sanctè me illam amaturum: illa uerò me sibi uirum ascituram, rerumq́; suarum omnium dominum habituram: quæ quidem inter nos firmata sunt ita, ut ne promissa facere cogerer ante, quàm* Ephesum *applicuissemus.* Illic *enim, uti antea testatus eram,* Meliten Leucippæ *cedere uolebam.* Deinceps *mensæ conquisitissimis cibis cumula-*

tæ

tæ accumbentes cœnauimus: cœnæq́; illi NVPTIAE *nomen fuit: nam reliqua differre pacti eramus.* Porrò *autem mihi nescio quid risu dignum inter cœnandum euenisse, nunc etiam uenit in mentem.* Nam *simul ac nuptijs benè precati sunt, qui aderant:* Melite *clàm mihi annuens, noui quiddam ego, inquit, sola passa sum.* Vt *enim ijs, quorũ cadauera humanda nusquam reperiũtur, sepulturæ inanes extrui consueuerunt: sic inaneis mihi nuptias paratas esse animaduerto: ita mulier callidè iocabatur.* Postridiè *uento secundo inuitati* Alexandria *soluimus:* Menelausq́; *nos ad littus usq; secutus, & data, acceptaq́; salute, tranquillum nobis mare precatus, discessit, adolescens probus sanè, ac penè diuinus: qui cum lachrymarum plenus recederet, nobis omnibus pariter lachrymas excussit.* At Clinia *me deserere indignum ratus,* Ephesum *unà mecum proficisci uoluit, ut ibi tantisper moraretur, dum res meas in tuto esse uideret.* Sed *cùm iam prospero cursu ratis nostra ferretur, noxq́; appropinquasset, ac uix cubiculum, quod utrique nostrûm commune in naui adornatum fuerat, intrassemus dormituri:* Melite *me complexa dissuauiari, nuptiasq́; repetere cœpit,* Nunc *quidem, inquiens, extra* Leucippes *fineis egreßi sumus: nunc terminos pactos tenemus: hæc præstituta dies est.* Quid *nunc, donec* Ephesum *peruenerimus, morari oportet? an nescis maris euentus dubios, uentorumq́; mutationes infidas esse?* Vror, *mihi crede* Clitophon, *uror: atque utinam ignem palàm facere liceret: utinam ea in me, quæ in amoris igne, potentia esset, ut te super circumfusa flammam in te immittere ualerem.* Sed *meus hic ignis diuersam quandam ab alijs uim nactus est. nam cùm inter amantium complexus uehementißimè aliôqui feruere*

uere soleat: nunc tamen nobis mutuo in complexu iacentibus parcit. O ignem arcanum, ô ignem in abdito relucentem, ô ignem suas ipsius leges transgredi nolentem. At nos ô charissime Clitophon, cur non tandem Veneris mysterijs initiamur? Tum ego, Ne me, inquam, mortuorum iusta interuertere adigas: miseræ illius fineis non erimus prætereuecti, donec alias teneamus terras. An non eam in mari demersam audiuisti? Leucippes tumulum nos adhuc nauigare uides. Qui uerò scis, an circùm nauim hanc illius simulachrum obambulet? ANIMAS ENIM eorum, qui in aquis pereunt, non omnino quidem ad infra descendere: sed propter aquas ipsas errare aiunt. fortasse uerò etiam nobis ita complicatis imminebit. Cæterùm tibi'ne locus hic ad nuptias idoneus uidetur? rectè'ne tu illas inter fluctus, ac per mare uagantis fieri censes? esset proculdubio id instabilem torum nobis parare. Tum Melite, scitè mecastor, inquit, gratissime Clitophon, argutaris: uerum tamen quemlibet locum ego amantibus thalamum esse arbitror. AMORI enim Deo locus nullus præclusus est. quinetiam arcanis eius familiarissimam sedē pelagus esse cōstat. Quid, quòd maris filia Venus est? ut existimem nuptiarum Deæ non ingratam rem facturos nos, si hoc honoris eius matri habuerimus: ut quæ ad perficiendas nuptias restant, hìc consumemus. Nam etiam circùm antennam posita uincula, nuptiarum proculdubio mihi præsentia uidentur signa. Quid enim non putem optima, ô here, auspicia, thalamum sub iugo inire, rudentibus inter se colligatis, maloq; iustà collocato? Argumento est id quidem, nuptias nostras Fortunam dirigere. Ecce autem & Neptunus (is enim Amphitriten in mari uxorem duxit) & Nereidum

chori

chori nos comitantur: ipsaq; Ventorum tam suauiter circa rudentes strepentium murmura hymenæum canere mihi uidentur. An'non tu quoq; uelum istud, quasi prægnantem uterum, intumescere cernis? quod ego sanè boni ominis loco mihi duco, hinc futurum coniectans, ut iam iam de me sis pater. Itaque cùm illam ad id tam propensam uiderem, Philosophemur, inquam, ò mulier tantisper, dum terram attingamus. Illud autem tibi per mare ipsum, & per nauigationis nostræ euentum iuro, me sedulò etiam id, quod tu, operam dare. Sed sunt suæ ipsius maris leges. Persæpe enim de nautis audiui, naueis à uenereis uoluptatibus puras esse oportere: siue quòd sacræ sint, siue quòd minimè deceat inter huiusmodi pericula obscœnius se oblectare. Ne igitur mare his contumelijs irritemus, neu nuptias terrore misceamus: sed intactam earum uoluptatem seruemus. Quæ cùm dixissem, osculis identidem subblandiens, mulierem in meam sententiam pertraxi: ita quod noctis reliquum fuit, somno dedimus. Quinto autem pòst, quàm discesseramus die, Ephesum nauim appulimus: ubi Melites domum amplam, & earum, quæ in illa urbe essent, facilè primam, seruitium quoque ingens, aliamq; supellectilem sanè quàm lautißimam comperi. Mulier uerò dum cœnæ, quam splendidißimam imperauerat, tempus aduentaret, unà secum rus, quod ab urbe non amplius stadia quatuor aberat, me ire uoluit: quò simul ac curru uecti sumus, arborumq; in quincuncem directarum ordines perambulare cœpimus: repente mulier quædam catenis grauioribus uincta, ligonem gestans, capillo detonso, corpore squalido, amictuq; miserandum in modum discincto, nobis ad genua prostrata, Mei ò hera, miserere, inquit, mulieris mulier,

& liberæ quidem, uti quondam dicere potui, seruæ autem nunc, quando ita fortunæ uisum est: uocemq́; hic repreßit. Tum Melite, Surge, inquit, mulier: & quæ sis, & cuiâs, quis'ue has tibi catenas iniecit, effare: hæc enim forma in aduersis etiam rebus nobilitatem tuam prædicat. Tum illa, Familiæ, inquit, tuæ procurator, quòd impuris eius cupiditatibus obtemperare negaui. Genere Thessala sum, Lacænæ mihi est nomen: hanc ego tibi fortunam meam supplex commendo: tu ex ijs me miserijs, quibus oppressam uides, eripe: fidemq́; mihi tantisper habe, dum tibi drachmarum duo millia dissoluam: tanti enim me à piratis emit Sosthenes. eas ego (mihi crede) quàm celerrimè comparabo: sin minus, tibi seruire pergam. Cæterùm quàm me ille fœdè excruciatam habuerit, uide: protinusq́; diducta ueste terga ostendit miserum in modum conscribillata. Quæ cùm audissemus: ego quidem stupefactus sum: Leucippes enim similitudinem quandam habere mihi uisa est: Melite uerò Bono, inquit, animo esto mulier: ab ijs enim malis te liberabo, domumq́; gratis remittam: mox Sosthenem uocari, eamq́; è uinculis eximi iußit. Sanè autem perterritus Sosthenes affuit statim: Cui Melite Quando, inquit, scelerum caput, è uilioribus etiam famulis, aliquem tam durè à nobis acceptum uidisti? Sed quænam hæc sit, age fallacijs omißis, effare actutum. Nihil aliud hercule, inquit ille, ò hera scio: præter quàm quòd mercator (ei Callistheni nomen erat) eam mihi uænum dedit, à piratis emptam inquiens: esse autem liberam, Lacænamq́; appellari aiebat. Melite hominem ab administratione, cui præerat, remouit: mulierem ancillis commendauit, lotamq́;, ac nitida palla indutam in urbem duci iußit. Deinceps nonnullis ad agrorum rationem

nem pertinentibus, quorum gratia illò se contulerat, in ordinem redactis, pilento rursus ad urbem delati sumus. Vix autem cœnaturi mensæ accubueramus, cùm Satyrus uultu admodum seuero mihi, ut exurgerem, clàm significauit: quamobrem purgandæ alui gratia secedere me simulans, exiui: illeq; nihil penitus locutus epistolam reddidit: qua resignata protinus ante, quàm legere inciperem, animo consternatus sum. Leucippes enim manu exaratæ erant hoc exemplo literæ:

LEVCIPPE CLITOPHONTI HERO MEO:

Quo enim alio nomine te appellem, qui heræ meæ factus sis maritus? Tu quidem quæcunque ego tua causa pertulerim, haud quaquam ignoras: uerum tamen in præsentia quoque te commonefacere pernecessarium duco. Tua causa matrem reliqui, errationemq; elegi. Tua causa naufragium feci: deinde in piratarum manus deueni. Tua causa hostia, expiatioq; facta sum, aliamq; iterum mortem oppetij. tua causa uæniui, ferreisq; cathenis fui constricta, ligonem gestaui, terram effodi, uapulaui: uidelicet ut tu alterius mulieris maritus esses? ego alteri nuberem? at hæc Dij prohibeant: Sed quid agam? Ego quidem certè has ærumnas forti animo pertuli: tu uerò illæsus, uerberumq; immunis uxorem ducis. Verùm si ullam mihi pro ijs, quæ tua causa sustinui, gratiam habendam censes: coniugem tuam obtestare, me ut, sicuti pollicita est, missam faciat: eiq; drachmarum millia duo, quæ pro me Sosthenes exoluit, sponde, nosq; quamprimùm missuros, in te recipe: Byzantio enim non longè absumus. Quod si facere detrectaueris, hoc mihi præmij pro ærumnis, quas tua causa fero, datum esse puta. Vale, & nouis

nuptijs fruere: ego hæc ad te uirgo adhuc scribo.

Hæc cùm legerem, uarias in parteis animo distrahebar: amore incendebar, expallescebam, mirabar interdum, interdum literis fidem nullam habebam: ita metu, gaudioq; conflictabar. Satyro tandem, inquam, Mihi'ne hanc ab inferis epistolam reddis? aut quid sibi hæc uolunt? reuixit'ne iterum Leucippe? Maximè, inquit Satyrus: atque illa est, quam in agro ruri uidisti. Sed eam sola adeò capillorum abscißio immutauit, uix ut à quoquam dignosci queat. Tum tu igitur, inquam ego, in ijs uersatus delitijs, meas nunc tantùm aureis oblectas, neque ob oculos felicitatem ipsam ponis? Tace sis, inquit Satyrus: remq; dißimula: ne prius nos omneis perdas, quàm de tota re securius à nobis consilium ineatur. Mulierem uides Ephesiorum primam, tuiq; amore insanientem: nos autem media intra retia omni ope destitutos uersari. Nequeo, inquam ego: uoluptas enim per uenas in corpus totum diffunditur. Quid, quòd etiam me per literas uocat? lectaq; iterum epistola, hæc ferè absenti illi, tanquam præsenti, respondebam: Iusta loqueris iucundißima Leucippe: tu quidem mea causa reuerà, quæ scribis, omnia pertulisti: malorum ego omnium reuerà tibi auctor fui. Cumq; ad eam epistolæ partem uenissem, quæ contumelias, & uerbera à Sosthene inflicta continebat: ita collachrymaui, ut si eis interfuissem. COGITATIO ENIM » interna mētis aciem ad scripti significationem trahens, » quæ leguntur, animo repræsentat non minus, quàm si res » ipsæ oculis subiectæ essent. Sed & illa, quibus mecum de nuptijs expostulabat, me rubore perfuderunt, tanquam manifestò deprehensum mœchum: ita me puduit expostulationis illius. Verum tamen ad Satyrum conuersus, Me

miserum, inquam, quo pacto excusem me, ò Satyre? manifestò nunc quidem tenemur: puellæq; omnia innotuerunt: atque utinam, ne etiam odio prosequi cœperit. Sed iam quomodo incolumis sit, aut cuius esset cadauer illud, quod à nobis sepultura affectum est, certior fieri uelim. Tum Satyrus, Puella, inquit, per ocium tibi rem omnem explicabit. nunc te rescribere, ipsamq; placare, opus est. Ego enim hanc te contrà, quàm tibi in animo erat, duxisse, iureiurãdo affirmaui. Etiam'ne igitur me, inquam, illam duxisse narrasti? tu quidem rectà me perdidisti: nuptiarum 'enim ciuitas uniuersa adhuc ignara est. Quinimmo Herculem Deum, præsentemq; meam fortunam Satyre testor, nullas mihi factas nuptias. Tum Satyrus, Iocaris, inquit, bone uir: quasi te simul cubare non sit manifestum. Atqui fide maiora, inquam ego, loqui me scio: sed tamen nondum ex sententia mei potita est Melite. Verùm quid sim scripturus, doce: hic enim euentus me uehementer commouit: atque adèo, ut quid agam, scire non poßim. Ego te, inquit Satyrus, prudentior non sum: tu scribendi initium fac: cætera dictabit Amor: ut autem celer sis, etiam, atque etiam cura. Tum ego literas hoc exemplo conscripsi:

HERA MEA LEVCIPPE
SALVE.

Me quidem una, eademq; res beatũ, ac miserum facit: nimirum quòd te nunc præsens præsentem, tanquam peregrè reuersam ex literis tuis uideo. Cæterùm si rerum omnium ueritatem inspicere uolueris, nullo interim de me facto præiudicio, cognosces profectò uirginitatem meam (si qua uiris inest uirginitas) exemplum tuæ secutam esse. Sin autem me iam causa indicta odisse cœpisti, senten-

tiam

tiam ut immutes, maximopere te rogo. Polliceor enim futurum (ita me tui seruatores Dij ament) ut iam iam tibi me expurgem. Vale gratißima Leucippe: teq́; ut mihi propitiam esse intelligam, cura.

Conscriptis, obsignatisq́; literis, eas Satyro trado, atq; ut, ne quicquam contrà, ac deceat, de me loquatur, obtestor. Voluptatis inde, ac mœroris plenus cœnatum redeo. Veniebat enim mihi in mentem non permissuram Meliten, ut ea nocte abirem, propterea quòd inter nos haud dum perfectæ erant nuptiæ: neque tum fieri poterat, ut ipse, Leucippe inuenta, mulierem aliam uel intuerer. Quamobrem ita uultum componere conatus sum, ut ne animo commotus uiderer. Quod cùm frustrà tentassem, ingressus, frigore cohorrere me simulaui. Melite uerò tametsi intelligeret à me causam quæri, quamobrem promissa non facerem: tamen palàm conuincere me non poterat. Igitur cùm incœnatus, ut cubitum irem, surrexissem, mulier ijsdem uestigijs, media in cœna mensa relicta, me consecuta est. Ipse cubiculum ingressus morbum etiam inualuisse præ me ferebam: illa me obtestans, Cur hoc, inquit, agis? quousque me reijcies? nos quidem certè maritimis è fluctibus euasimus: atque Ephesum, qui nuptijs constitutus est locus, peruenimus. Ecquem adhuc diem expectamus? quandiu tanquam aliquo in Sacrario considentes, simul cubare differemus? Næ ego Tantali mensæ haud dißimilem planè torum sortita sum: Quæ tametsi propter fluuium sedeam, largißimeq́; mihi facta sit aquæ copia: tamen haurire, ac sitim explere infelix uetor. Hæc cùm dixisset, flens meum in pectus miserandum in modum caput demisit, atque adeò, ut ipse quoque grauiter sim commotus: neque quid facerem, scirem: mihi

enim

enim iusta loqui uidebatur. Tandem uerò ita respondi, Deos patrios testor, ò charissima Melite, me id enixè agere, tuæ ut morem geram uoluntati: Sed quàm repentè in morbum inciderim, uides. Scis autem tu incommoda ualetudine frustrà Veneri operam dari. Atque hæc locutus, manantes lachrymis oculos eius detersi, grauissimumq; iusiurandum iuraui, non multo pòst, quæ uoluisset, me facturum esse. Sanè hoc pacto incensum mulieris animum, quanquam non sine multo labore, placaui. Postera die Melite ancillis, quibus Leucippen commendauerat, accersitis, eam'ne liberaliter tractassent, rogauit. A quibus cùm responsum accepisset, ei se diligenter operam nauasse: illam ad se duci iussit. Quæ postea quàm affuit, Quanta erga te, inquit illa, humanitate usa sim, commemorare scienti præsertim tibi, superuacaneum puto. Tantum à te peto, ut ijs in rebus, quas in tua potestate sitas esse non ignoro, parem mihi gratiam referas. Audio Thessalas uestras, quos ament, ita cantionibus, ueneficijsq; percellere, ut ad aliam mulierem animum ullo pacto adijcere nequeant: quinimmò sui desiderio usque eò inflammare, ut illas omnia sibi esse putent. Hac in re mihi à te, siquidem Thessala es, opem ferri uelim. Adolescens, quem heri mecum gradientem uidisti. Virum ais tuum? inquit tum callida Leucippe: sic enim de familiari quodam didicerat. Quem uirum? inquit Melite: mihi quidem nihil amplius cum eo rei est, quàm cum lapide aliquo. Sed mihi Leucippe quædam mortua præponitur (hoc enim nomine illam uocat) cuius neque edens, neq; bibens obliuisci potest. Nec uerò huius unquam fecit, quòd ego eius causa mensеis IIII. Alexandriæ morata sum, rogans, obtestans, pollicens, nihil prætereà rerum, quibus

allici posset, prætermittens. Sed tanquam ferrum, stipes'ue, aut aliud quiddam sensu carens, preces meas non curat: uixq; tempori paret, id unum propè concedens, ut uidendo tantum se fruar. Testor autem Venerem ipsam noctes v. me simul cubuisse: Surrexisseq; non aliter, quàm si cum Eunucho aliquo iacuissem: ut statuam diligere mihi iure uidear: cui non, nisi oculis, amato frui sit concessum. Itaque, quod tu heri mecum egisti, te mulier mulierem rogo, ut aliquid mihi aduersus superbum istum auxilij feras: quò iam penè fugientem mihi animam reddas. His cognitis, Leucippe incredibilem uoluptatem cepit, quòd Meliten à me spe frustratam certò cognouisset: herbasq; se conquisituram respondit, siquidem quærendi sibi faceret potestatem. Sic illa, quod magnopere cupiebat, assecuta rus profecta est. Negare autem noluit, quòd sciret à Melite sibi fidem habitum non iri: atque iccircò eam promisisse puto. Hác spe sibi ostentata Melite, animi
" *curam remisit.* QVAE ENIM *iucunda sunt, ipsa*
" *etiam expectatione uoluptatem afferre solent. At uerò ipse nihil eorum credens, animi pendebam, mecum reputans, quomodo futura etiam nocte Meliten frustrari, ac Leucippen conuenire possem: nec enim alia de causa id studuisse mihi uisa erat, ut rus se conferret, uesperi affutura. Intereà dum in eius abitum currus adornaretur, nosq; cœnaturi accubuissemus: tumultus ingens, concursusq; repentinus ante cœnaculi ostium exauditus est: statimq; seruorum unus præ cursu ægrè spiritum ducens ingreditur: Thersandrumq; uiuere, atque adesse nuntiat. Porrò is erat Melites coniux, quem naufragio perisse putabant. hæc autem à domesticis nonnullis, qui cum eo nauigauerant, naui fracta seruatis, cumq; diem obisse putantibus,*

tantibus, dimanauerat fama. Vix autem seruus ea locutus fuerat, cùm Thersander illum subsecutus, cœnaculum subitò intrauit: accelerabat enim, ut me, de quo permulta sub ipsum statim reditum suum audiuerat, deprehenderet. Melite quanquam repentino casu turbata est, uirum tamen amplecti uoluit: sed eam ille magna ui repulit: ad meq; conuersus, Hic'ne, inquit, mœchus est? protinusq; facto in me impetu, quanta maxima ui potuit, plagam collo intulit: mox capillis arreptum deturbauit, uerberibusq; totum confecit. Ego quasi sacrificijs interessem, non modo quis esset, aut quam ob rem me cæderet, non rogaui: sed ne uerbum quidem proferre ausus sum: uerùm quid causæ esset, mecum ipse solus reputans, etsi maximè contrà niti potuissem, tamen id facere ueritus fui. Tandem cùm ille uerberando, ego ratiocinando, fessi essemus, surgens Quis tu, inquam, es? cur me tam cõtumeliosè cædis? At ille propterea quòd uocem emisissem, iratior etiam factus, manus iterum mihi iniecit, uinculaq;, & compedes poposcit: quibus constrictum me in cubiculum quoddam coniecit. Intereà factum est, ut Leucippes epistola, quam fortè mecum intra tunicam gestabam, improuisò delapsa sit: eamq; Melite clàm susceperit; uerita ne aliqua esset ex suis ad me literis. Sed non ita multo pòst de tota re certior facta, Leucippes nomine inuento, prorsus exanimata est: non tamen eam uiuere putauit, quam toties è uiuis audiuerat esse sublatam. Tandem uerò epistola tota perlecta, ueritateq; iam clarius cognita, cum uerecundia, atque ira, tum amore, atque zelotypia percussa, uarias in partes distrahi cœpit. Nam & maritum uerebatur, & literis non poterat non irasci: Sed iræ aliòqui amor opponebatur: Zelotypiaq; auxilium etiam

sibi

sibi afferente tandem uictor euasit. Quamobrem cum aduesperasset, Thersanderq́; à primo illo impetu ad familiarem quendam suum se contulisset: Melite hominem, cui mei credita erat custodia, allocuta, duobus seruis ante cubiculi fores collocatis, ad me clàm uenit: quem humi proiectum cùm offendisset, propius accedens eodem omnia momento proferre uolebat, ipso nihilominus uultu, quæcunque dictura erat, præ se ferente. O` me infelicem, meamq́; in perniciem te primùm conspicatam: quæ, quod assequi non poßim, tantopere expetam: ô me penitus dementem: quæ hominem amore prosequar, cui me inuisam esse non ignorem: quæ misericordiam ei tribuam, qui miseriorem me indies habet: quem tot contumelijs laceßita, non possum non amare. O` uiri, & mulieris par aduersus me conspirans: quorum alter iandiu me ludibrio habet, altera herbas conquisitum abijt: me'ne hactenus opem ab infensißimis istis mihi quæri non intellexisse? Hæc locuta Melite, Leucippes in me literas proiecit: quibus agnitis, cohorrui statim: uultumq́;, ut magnæ alicuius culpæ reus, deieci. Illa uerò amplius etiam flere, ac conqueri perrexit: Heu me tot malis afflictam: tua ego causa uirum amisi: neque te tamen posthac frui mihi licebit. quininimò tuo quoque aspectu, quo nihil amplius consequi potui, iam iam mihi carendum esse uideo. Ad hæc mala illud etiam accedit: tua enim causa coniux me odio prosequitur, atque adulterij ream facit: adulterij, inquam, ex quo nec fructum, nec uoluptatem ullam, sed opprobrium tantum percepi. Aliæ porrò mulieres cum turpitudine uoluptatem consequuntur: at miseræ mihi sola absque uoluptate turpitudo parta est. O` infidum, ô barbarum, ô piratis immaniorem Clitophontem: te'ne mulierem

tam impotenter amantem, tam miserum in modum excruciari, æquo animo ferre posse: præsertim cùm tu quoque amore ardeas? neque te diuinam Amoris iram timere: non faces eius, non arcana uereri? non lachrymis, quas ubertim profuderunt oculi isti, quibus ad misericordiam prædones quoque alliciuntur, commoueri? Quid, quòd animum tuum non modo non pellexerunt preces meæ: sed nullum, idonei temporis opportunitas, aut mutuus complexus, aut aliud quippiam, apud te pondus habuerunt? quinimmò (quod omnium contumeliosissimum est) è complexu meo, ex ipsis dissuauiationibus æquè discedis, atque alia mulier. Quæ'nam est hæc nuptiarum umbra? Tu quidem certè non cum effœta aliqua, tuos'ue amplexus auersante cubuisti: sed cum adolescente, & amante: dixerit uerò aliquis, etiam formosa. Eunuche, curate, pulchritudinis contemptor, ego quidem iustissimè nunc Deos immortaleis precor, tuis ut desiderijs contraria omnia euenire uelint: ut quæ in me moliris, in te recidant. Hæc non sine lachrymis locuta Melite parumper conticuit: inde ut tacentem me, atque oculos humi defigentem animaduertit, animo penitus commutato, rursum, Quæ locuta sum hactenus, inquit, suauissime adolescens, ira, & mœror suggessit: nunc me ad dicendum Amor impellit. Quî uerò potui non irasci, atque in te conuitia ingerere, cùm tota arderem, corporisq; intimas parteis miserrimum in modum popularetur ignis? Ah saltem nunc mihi morem gere. Non ego dies multos, aut nuptias diuturnas peto: quarum spe hactenus miseram me frustratus es. Vnicus mihi sat erit congressus: uel tantula ope mihi ad tanti morbi uim depellendam opus est. Agedum ignem hunc mihi aliquantum restingue, ac, si quid in te asperius

antea sum locuta, ignosce, obsecro, gratissime adolescens.
„ QVI ENIM *infeliciter amat, furorem temperare*
„ *non potest.* Nec *uerò me fugit quàm turpem causam agam: uerumtamen amoris arcana palàm facere haudquaquam pudet.* Nam *etsi uirum alloquor memorem, scientemq́; quo pacto affecta sim: tamen hæc alijs ignota*
„ *sunt.* SOLIS QVIPPE *amantibus, prætereà nul*
„ *lis, amoris uim cognoscere licet.* H*æc mihi adhuc superest dies: qua, ut promissa facias, rogo.* I*sidis tibi ueniat in mentem: ne'ue, quod in eius templo iurasti, flocci feceris.* Q*uòd si, ut inter nos iureiurando firmatum est, promissis stare uolueris: non equidem* T*hersandros mille curauerim.* C*æterùm, quoniam* L*eucippe inuenta fieri ullo pacto non potest, aliam ut ducas: fac, ut lubet: mihi enim cedendum esse uideo: iamq́; amplius nihil, nisi quod consequi ualeam, peto: quandoquidem contra me omnia pugnant: mortuiq́; ipsi etiam reuiuiscunt.* Ò *mare, nauigantem quidem me seruasti: uerùm seruando magis perdidisti, aduectis in meã perniciem mortuis duobus: quasi non una satis esset* L*eucippe.* S*ed uiuat sanè illa, ne* C*litophon in mœrore iaceat.* I*llud uerò quis ferat, impium* T*hersandrum nunc rediisse? me uidente hominem percußisse? miseramq́; opis nihil ferre potuisse? adhuc quidem,* D*ij boni, facies tota liuoribus fœdata conspicitur.* C*æcus tum, puto,* T*hersander fuit.* S*ed te ò here* C*litophon (tu enim animæ meæ solus imperas) id unum rogo, hodie saltem mihi te primùm, & ultimùm concede.* P*arua hæc mora multorum apud me dierum loco erit: sicq́; nec tu* L*eucippen amiseris, & illa falsò perierit.* N*e meum amorem spreueris, cuius causa, cum alia plurima, tum ipsam* L*eucippen es consecutus.* N*isi enim ego te*

amassem,

amassem, hucq́; perduxissem, seriò profectò Leucippe tibi perisset. Fortunæ *uerò benignitati aliquid etiam acceptum ferri decet.* Si *quis thesaurum inuenerit: nónne is locum, in quo inuenit, colit? nónne aram consecrat, libamina affert, terram coronat?* Tu *uerò amatorio thesauro apud me reperto, non modo gratiam non refers, sed etiam beneficij autorem spernis.* Hæc *autem mea causa tecum loqui* Amorem *puta.* Id *mihi, tuæ militiæ antesignano, concede* Clitophon, *ut ne hinc* Melite *intacta discedas.* Meus *ignis est, qui eam urit.* Pare Deo Clitophon, *siquidem cætera tua mihi curæ esse cupis.* À *uinculis mediusfidius, tametsi* Thersandro *id minimè uideatur, solueris: meumq́; apud educatorem, quandiu uoles, moram trahere poteris.* Leucippen *uerò cras prima luce tibi affuturam expecta.* Ruri *enim pernoctare se uelle dixit, ut ad lunæ aspectum herbas colligeret: ita tu me irrisisti, quando ab ea, utpote* Thessala, *contra te opem imploraui.* Quid *enim amplius spe frustrata facere potui, quàm ad herbas, & cantiones miserorum amantium solatia confugere?* Nunc, *ut hunc etiam timorem deponas,* Thersander *iratus domo ad familiarem quendam suum se contulit: ut* Deus *aliquis illum hinc eiecisse mihi uideatur, quò postrema hæc unà perficere poßimus: agedum igitur mihi tandem te præbe.* Hæc *cùm dißeruisset* (AMOR *enim loqui docet) uincula soluit: manusq́; meas dissuauiata, oculis primùm suis, deinde cordi apposuit,* Vides'ne, *inquiens, ut salit, uibratq́; frequenter palpitans, metus simul & spei plenum, (utinam uerò etiam uoluptatis) ut trepidatione huiusmodi te orare uideatur?* Postea*quam uinculis solutus sum, mulierq́; flens me complexa est, humani quiddam perpessus sum: atque (ut in-*

genuè fatear) ne mihi Amor Deus irasceretur, extimui: præsertim quòd Leucippe recuperata, Meliten paulo pòst dimissurus essem: neque nuptias perfecissem: sed animo infirmo quandam quasi alleuationem tantummodo attulissem. Amplexantem igitur, deosculantemq́; pari & amplexu, & deosculatione accepi: atque haud ita multo pòst desiderij eius expectationem omnem expleui, nobis neque strato, neque alio ullo ad Venerem apparatu indi-
„ *gentibus.* AMOR ENIM *sibi ipsi est artifex, atque*
„ *extemporaneus Sophista: quiq́; ad sua ipsius arcana quē-*
„ *uis accommodet locum. Porrò certißimum illud est,*
„ IMPARATAM *Venerem suauiorem multò esse,*
„ *quàm cui multa ad*[illegible]*tur cura: utpote quæ germanam*
„ *uoluptatem secum ferat.*

SEXTVS
LIBER.

POSTEAQVAM *Melites ægrimoniam subleuaui, Quonam modo, inquam, tutam mihi ad abeundum uiam præstabis: & cætera, quæ de Leucippe pollicita es? Tum illa, Ne uereare, inquit, quod ad Leucippen attinet: sed eam te iam recepisse puta. Ornatum hunc meum indue, faciemq́; uelo obuolue: Melantho ad ostium, quà in uiam patet egressus, te comitabitur. Illic adolescens tibi præstò erit: qui, sicut ei præscripsi, ad Cliniam te, Satyrumq́; perducat: Leucippe autem non multo pòst tibi aderit. Quæ cùm dixisset, me quasi seipsam adornauit: dissuauiansq́;, Quātò, inquit, formosior es in stola? talem ego quidem in pi-*

ctura

ctura olim Achillem uidi. Cæterùm anime mi Clitophon, etiam atque etiam cura, ut ualeas: & pallam hanc apud te mei monimentum serua, tua mihi relicta: qua induta tuo quasi amplexu detineri uidear. Tum mihi aureos nummos centum dedit: accersitaq; Melanthò (erat hæc ancillarum omnium fidißima: cui uni ianuarum custodia credebatur) quid me fieri uelit, docet: deinceps ad se reuerti iubet. Ego simul atque muliebri ornatu amictus cubiculo exiui, custosq; heram me esse ratus, id ei annuente Melanthò, seceßit: per remotiorem domus partem iter faciens, ad portam quandam minime in uiam descendentem perueni: ubi destinatus à Melite adolescens libertinus ex ijs, qui nobiscum nauigauerant, mihi pergratus, me accepit. Postea uerò quàm reuersa Melanthò cubiculum, quod uixdum clausum fuerat, aperiri iußit, meumq; abitum heræ nuntiauit: illa custode ad se uocato (qui, sicuti credibile est, re maximè præter opinionem perspecta, iuxtà adagium, PRO VIRGINE CERVA, stupore oppressus obmutuerat) mihi quidem, inquit, dubium non erat, ne non Clitophontem dimitteres: sed eò artificium istud excogitaui, ut esset tibi apud Thersandrum excusationi locus, utpote qui non cognoueris. aurei autem nummi decem tibi à Clitophonte, si hîc expectaueris, muneri mittentur: quanquam, si de fuga cogites, tutius omnino rebus tuis consulueris. Tum uerò Opasion (id erat custodi nomen) atqui ò hera, inquit, nihil mihi magis probabitur: quàm quod tu suaseris. Itaque mulieri placuit, ut aliquò profugeret: nec ante reuerteretur, quàm turbæ illæ, & mariti ira sedata esset. atque ita quidem ille abijt. Sed nouam iam fabulam Fortuna incœptat: meq; ad pristinas calamitates reuocat. Ther-

 sander

ſander enim, qui ab amico, ad quem diuerterat, ne procul ab uxore cubaret, ſuaſus, à cœna domum reuertebatur: abeunti mihi obuiam factus eſt. Celebrabantur forte fortuna Dianæ feſti dies, & ebriorum plena erant omnia, integramq; noctem mortalium ingens multitudo forum totum percurſabat: quod unum rationibus meis maximè obſtare uidebatur: adhuc enim clam me erat, aliud mihi multò grauius infortunium imminere. Nam Soſthenes, qui Leucippen emerat, ab agrorum adminiſtratione abſtinere iuſſus, herum adeſſe intelligens, non modò ab adminiſtratione non abſtinuit, uerùm etiam de Melite uindictam ſumere cupiens, me primùm Therſandro prodidit, utpote qui delator eſſet: deinde alia complura de Leucippe appoſitè admodum ementitus eſt. Eius enim potiundæ ſimulatque ſpem ſibi ereptam uidit, hero lenocinari aggreſſus eſt, ut cum à Melite abalienaret. Itaque puellam ò here, inquit, emi forma incredibili: de qua narranti mihi non minus, quàm uidenti tibi credas uelim. Hanc ego tibi adſeruabam, quem uiuere audiuiſſem: id quod tametſi me credere iuuabat, nemini tamen palàm facere uolui, eo tantum conſilio, ut heræ turpitudinem manifeſtò deprehenderes: ne'ue tibi peregrinus, & impudens mœchus illuderet. Heri autem ſolùm eam Melite à me uindicauit, ac miſſam facere cogitat. Sed ego tantam pulchritudinem tibi à Fortuna, ut ea ſolus potiare, ſeruatam credo: illa enim ruri etiam nunc degit: necdum, quomodo dimitti queat, ſatis ſcio. Quamobrem, ſi tu ita cenſes, illam priuſquam ad heram reuertatur, alicubi clauſam tibi dabo. Quod cùm probaſſet, fieriq; iuſsiſſet Therſander, Soſthenes quamprimum rus abijt: uiſoq; tugurio, in quo puella erat pernoctatura, duobus

accer

accersitis operarijs, ancillas, quibus cum illa moram trahebat, circumuenire, & quàm longißimè, quasi colloqui cupiant, demorari iubet. Ipse alijs duobus secum ductis, statim ut solam conspicatus est, impetu facto, manibusq; ori eius admotis, mediam comprehendit: seorsumq; ab ancillis asportans, occultam quandam in domum conclusit, Magnum ad te, inquiens, bonorum cumulum affero. Te autem illud spectare par est, ut ne, posteaquam fueris assecuta, mei obliuiscaris. Nec uerò raptum hunc extimescas, ne'ue in perniciem tuam factum putes: quoniam quidem hic tui amantem herum meum tecum familiaritate coniunget. Leucippe calamitate insperata percussa, obmutuit. Sosthenes ad Thersandrum profectus, quid fecisset, renuntiauit. At ille domum forte reuertens, dum Sosthenem, quæ gesta erant, narrantem, Leucippesq; formam laudibus extollentem audit: eo sermone non minus incensus est, quàm si eam ipsam ueræ pulchritudinis speciem intueretur. Quamobrem cùm Dianæ solennes dies agerentur, nec amplius stadia quatuor rus illud abesset: eò se ad Leucippen duci iußit. Intereà Melites uestitu ornatus ipse, imprudenter euntibus illis occurro: meq; statim agnito primus Sosthenes En, inquit, mœchum insanientem, & tuæ uxoris ornamentis indutum. Tunc adolescens, qui forte præcedebat, re cognita, nec ullo, præ timore, ad me commonefaciendum sumpto tempore, in fugam se dedit. Ego statim ab illis comprehensus sum: Thersanderq; clamorem attollere cœpit. Quapropter multitudo pernoctantium affluere: ille magis, magisq; crimen augere, dicenda, tacendaq; pariter inculcare, adulterumq; ac furem identidem appellare. Tandem me in carcerem contrudit: nomenq; meum de adulterio

deferet. Sed horum nihil penitus me commouit, non uinculorum ignominia; non nominis delatio. Confidebam enim argumentis conuicturum, me nequaquam mœchum esse, propterea quòd palàm nuptiæ factæ fuerant. Illud *magnoperè me angebat, quòd nondum reuerà* Leucippen *recuperaueram.* ANIMVS NANQVE *ma-*
,, *lorum præsagus est: bonorum nequaquam.* Neque *enim mihi tum sani quicquam de* Leucippe *in mentem uenire poterat: sed erant suspecta omnia, omnia pauoris plena: ipseq; animo perculso, & penitus abiecto, maximo in mœrore uersabar.* Thersander, & Sosthenes *simul ac me in custodiam tradiderunt, ad* Leucippen *alacriter admodum profecti sunt: domumq; ingreßi, eam humi iacentem, ac* Sosthenis *dicta mente agitantem inuenerunt, nec minus animi ægritudinem, & pauorem uultu præ se ferentem: ut illud mihi non rectè dictum uideatur,*
,, MENTEM OMNINO *cerni non posse:* Hæc *enim*
,, *in uultu, pèrinde ac imago in speculò, apparet.* Nam *si læta illa fuerit, ipsa proculdubio lætitia in oculis relucet: sin uerò tristis, contrahitur frons, ægrimoniamq; ipsam refert.* Cæterùm Leucippe, *cum primùm ualuas aperiri sensit, uixdum oculis in eos coniectis (aderat autem lucerna) uultum statim demisit.* At, Thersander, *uisa inter ambulandum pulchritudine, quæ ex luminibus eius, tanquam repentinus fulminis iactus, refulserat (sunt enim oculi præcipua pulchritudinis sedes) confestim exarsit: obtutuq; illo uictus, mulierem rursus'ne oculos in se con ijceret, obseruare cœpit.* Verùm *cùm illam nihil aliud, quàm terram, intueri uideret:* Quousque, *inquit, humi defixa erunt lumina tua? quousque tantam oris tui pulchritudinem ad terram referre perges? quin hanc potius*

ad oculos meos refers? Tum Leucippe his auditis lachrymas profudit, peculiari sanè, ac germano quodam decore cumulatas. PORRÒ lachryma oculos erigit, ac proteruiores efficit: qui si deformes, atq; agrestes fuerint, eorũ deformitatem auget: Sin contrà iucundi, nigramq; aciem candore sensim conuestiti flendo humescant: mammæ tumidæ fonti aßimilantur: manante quinetiam circa sinum humore, quod album est, pinguescit: quod uerò nigrum, purpurascit: alterumq; uiolæ, narcisso alterum simile conspicitur. Risum uerò etiam, si intra oculorum orbes contineatur, lachrymæ præ se ferunt. Eiusmodi ergo cum essent lachrymæ Leucippes, facilè mœrorem decore suo uincere potuerunt: quinimmo si postea, quàm exciderant, conglaciassent, nouum proculdubio electri genus habuissemus. Thersandrum igitur in puella contemplanda occupatum pulchritudo incendebat, mœror ad insaniam perducebat, nonnunquam etiam flere cogebat. NATVRÀ ENIM lachrymæ, mulieris præsertim, uidenteis ad misericordiam mouent: atq; eò magis etiam, quò illa iunior fuerit. quam si formosam, & qui spectet, amatorem esse contingat: tunc uidentis oculi nequaquam quiescunt: sed lachrymas ipsi quoque profundunt. Pulchritudo enim, quæ in formosarum oculis præcipuum obtinet locum, inde in spectantis oculos dimanat, lachrymarumq; uim educit: atque ita fit, ut amator utrunque excipiens illam animo hauriat, has oculis seruet, quas deinceps conspici optat: nec eas, tametsi poßit, abstergêre curat: immò luminum motus inhibet, lachrymasq; intra sinum, quandiu potest, continet: ne uidelicet ante delabantur, quàm ab amato uisæ fuerint: id enim uel magnum amore capti animi argumentum esse credit. Hu-

iusmodi quiddam Thersandro quoque contigit: Fleuit enim, tum quod humano quodam (uti credibile est) desiderio moueretur, tum ut ea ostentatione gratiam á Leucippe iniret, tanquam scilicet ideo fleret, quia flentem ipsam uidisset. Itaque ad Sosthenem conuersus, Tu quidem, inquit, aliquam puellæ huic consolationem affer: iam enim quanto in mœrore iaceat, uides. Ego, tametsi inuitè, hinc recedam tamen, ne illi sim molestus: atque ubi mitiorem factam esse audiuero, eam alloquar. At tu bono animo sis mulier: dolorem enim ego istum tuum quamprimum abstergebo. Deinde egressus Sostheni rursum, Caue (inquit) ne, nisi quod deceat, de me loquaris: atque ut cras prima luce ad me re bene gesta reuertaris, cura. Intereá Melite continuò pòst, quàm á me discesit, adolescentem rus ad Leucippen misit, qui eam ad reuersionem quamprimum urgeret, nullis amplius pharmacis opus esse nuntians. Ille statim profectus cùm ancillas puellam quærenteis, ac propterea quòd nusquam apparebat, ualde perturbatas comperisset, maxima cum festinatione reuersus, heræ factum renuntiauit. Quæ me in carcerem conclusum, Leucippen uerò abductam intelligens, animo cecidit: ac quanquam rem, uti se haberet, certò scire non poterat: culpam tamen omnem in Sosthenem reijciebat. Leucippen itaque palàm perquiri uoluit: atque, ut Thersandro culpa carere se persuaderet, sermonem, qui ambagibus inuolutam ueritatem continebat, artificiosè admodum excogitauit. Nam cùm ille domum reuersus iterum exclamaret, Tu mœchum eripuisti, tu è uinculis exemisti, tu domo emisisti: cur non igitur illum sequeris? quid hìc moraris? quin ad amatorem tuum proficisceris, ut arctioribus catenis illum constrictum uideas? Tum

Melite

Melite, Quem'nam, inquit, mihi mœchum nominas? sanus'ne es, qui hæc dicas? tu si rem omnem furore posthabito uolueris audire, ueritatem facilè cognosces. Vnum tantùm te rogo: æquum te mihi iudicem præbe, auribusq; calumnia uacuis, ac pro ira, ratione adhibita, audi. Adolescens hic neque adulter, neque coniux meus est: sed genere Phœnix, & Tyriorum nulli secundus. Is cùm nauigaret, aduersa admodum fortuna usus est: quippe omnes eius merces naufragio consumptæ perierunt: quod ego cùm audiuissem, hominis calamitate commota sum, interim tui memor, atque hospitio accepi: mecum illud cogitans, fieri potuisse, ut tu quoque sic errares: tuamq; calamitatem aliqua subleuaret mulier: aut, si reuera in undis, ut fama fuit, obiisses diem, non impiè me facturam, si naufragis omnibus misericordiam tribuissem. Nam quot alios me naufragos subleuasse putas? quot undis submersos sepulturæ mandasse: si modo lignum è naufragio ad terram delatum nacta sum, mecum inquiens, forte hac naui Thersander uehebatur. Ex iis autem, qui pelagi uim effugerunt, unus hic, & quidem extremus fuit: quem ego honore affeci, futurum existimans, ut hoc modo in te quoque officiosa uiderer. Nauigauit ille, quemadmodum & tu: iccircò hanc tuæ calamitatis imaginem, ô charissime coniux, miserata sum. Habes quo pacto illum huc mecum perduxi. Porrò autem lugebat is uxorem suam, illam, quanquam falsò, periisse ratus: cùm tandem nescio quis eam uiuere, atque apud unum è procuratoribus nostris (Sosthenem autem nominabat) diuersari nobis retulit: remq; ita se habere omnino compertum est. Rus enim profecti, mulierem inuenimus: atque hac de causa me ille secutus est. Habes Sosthenem, mulier ruri est: de iis omni-

bus, ut lubet, percunctare. Si quid mentitam esse me comperceris, adulterij ream agas, licet. Hæc Melite dicebat Leucippes raptum se scire dißimulans, atque in animo habens, siquidem facti ueritatem Thersander indagare studuisset, Ancillas, quibus cum Leucippe abierat, postridie manè reditura, testeis dare, puellam nusquam reperiri dicturas. Nec enim aliam ullam ob causam perquirendæ puellæ operam dabat, quàm ut Thersandrum ad credendum induceret. Quinimmò, quanquam satis apposite respondisse uidebatur, tamen illud etiam addidit: Neque uerò quæ dixi, falsa esse putes coniux: meminisse enim potes, quàm incorruptè antea, dum simul ætatem egimus, uitam duxi: quamobrem me à te probri nunc insimulari periniquum est. Nam quòd recepti in familiaritatem meam adolescentis opinio, famá'ue percrebuit: id quidem ex honore ei habito, multisq; ueritatem ignorantibus, factum scias uelim. Quòd si famæ credendum sit, an'non tu quoque naufragio submersus uiuere desisses? PORRÒ CALVMNIA, *& Fama duo sunt sibi cognata mala: altera quippe alterius filia est: atque illa quidem gladio acutior est, igne uehementior, blandior seirenis: hæc uerò undis fluxior, uento celerior, pernicior alis. Quamobrem cùm Calumnia sermonem emiserit: euolat ille sagittæ in morem, absentemq;, in quem mittitur, uulnerat. Qui uerò audit, facilè admodum credit, iraq; accenditur, atque in delatum furit. At fama ex huiusmodi uulnere orta, statim quidem multiplex diffunditur: & sermonis uento acta, linguæq; pennis interim sustentata, quaqueuersus circumfertur, in obuij cuiusque aureis illabens. Hæ duæ contra me conspirauerunt pestes, atque eædem nunc animum occupant tuum, meosq;*

ab

ab auribus tuis sermones arcent. Quæ cùm Melite dixisset, manu Thersandri apprehensa dissuauiari uoluit. Ille quoque dictorum uerisimilitudine motus, de concepta ira aliquantum remisit: utpote cui, quæ de Leucippe narrata erant, à Sosthenis sermone non aliena, suspicionis partem ademissent. Non enim prorsus omnia credere uoluit: NIMIRVM QVIA Zelotypia, ubi semel in animum incidit, non nisi difficiliter extrudi potest. „ Cæterùm „ Thersander puellam, quam iam deperibat, uxorẽ meam esse audiens, mirum in modum perturbatus est: maiorecq; odio me prosequi cœpit. Sed tamen percunctaturum se tunc affirmans, ita'ne res, uti audiuerat, se haberet, cubitum abijt solus. Melite intereà ægritudine conficiebatur, quòd quæ mihi promiserat, facere se non posse intelligeret. At Sosthenes Thersandro, ut aliquantisper abesset, dimisso, multa de Leucippe pollicens, ad eam rursum profectus est, uultuq; hilaritatem præ se ferente, Lætemur, inquit, ò Lacæna: Thersander enim te usque eò diligit, ut insaniat: forte uerò etiam in uxorem ducet. Id autem mea unius opera fieri credas uelim: qui pulchritudinem tuam illi sanè quàm diligentißimè commendaui: teq; in animo eius penitus infixi. Flere itaque desine, ac bono animo esto, Veneriq; hanc ob felicitatem sacra facere perge. Sed, ut mei quoque tibi ueniat in mentem, cura. Tum Leucippe, At Dij faxint (inquit) ut, quam felicitatem mihi affers, tibi nunc contingat. Sosthenes minimè se irrideri, sed puellam ex animo loqui ratus, Atquì nunc, inquit, Thersandri conditionem, fortunamq;, mihi explicare in animo est, quò magis etiam tibi lætandum scias. Hoc itaque pro certo habe, Melites eius, quam ruri uidisti, maritum illum esse, mortalium omnium genere primum:

primum: sed cuius genus diuitiæ, diuitias mansuetudo uincat. Nam quid ego de ætate loquar? tu enim & iuuenem, & formosum esse illum uidisti: quæ res mulieribus perquam gratæ esse solent. Tum Leucippe nebulonem Sosthenem diutius ferre nolens, Quousque tandem, inquit, *belluarum omnium pessime aureis meas tua impura oratione fœdabis? quid mihi cum* Thersandro? *formosus sit* Melitæ, *diues sit patriæ, mansuetus, & magnanimus sit in eos, qui opera eius indigent: nihil enim mea refert, siue* Codro *nobilior, siue* Crœso *ditior existat: quid mihi alienarum laudum cumulum recenses?* Sanè Thersandrum *uti probum hominem tunc laudato, cum alienis uxoribus iniuriam afferre desinet.* Tum Sosthenes, Igitur *ludis? inquit.* Ludam'ne, *rogas? ait illa: sine mea me fortuna, & ducente me fato uti.* Scio *enim me inter piratas esse.* At ille, Immedicabili *mihi uideris, inquit, insania detineri.* Piratarum'ne *tibi uidetur hic locus: ubi coniugem, diuitias, uoluptates nanciscaris? eumq; prætereà uirum, quem adéo diligunt* Dij, *ut ex ipsis mortis faucibus eripuerint?* Dicendiq; *occasione hinc sumpta, naufragium recensuit, diuina ope factum inquiens, quòd euaserit: ac non dissimilia propemodum ijs, quæ de* Arionis Delphine *fabulantur poëtæ, comminiscens.* Quibus cùm *nihil* Leucippe *respondisset,* Sosthenes *iterum,* Quid *sit è re tua, inquit, mente circumspice, & huiusmodi quippiam* Thersandro *respondeas, caue: ne hominem mansuetum irrites: qui cùm ira permouetur, intolerabilis est.*
» CVI ENIM *mansuetudo insit, si in mite ingenium*
» *inciderit, is mansuetiorem etiam se præstat:* Sin *cum in-*
» *humano congrediatur, implacabili efferuescit iracun-*
» *dia.* Nanque *ita naturà comparatum est: ut in quo ad be-*

neme

nemerendum uigeat promptitudo, ei ad ulciſcendum „ acerbitas non deſit. Ac de Leucippe quidem hactenus. „ Clinia, Satyruſq́;, ſimul ac me in cuſtodiam datum eſſe illis nuntiatum eſt (Melite enim rem omnem eis narrauerat) noctu ad me in carcerem ſe contulerunt, unà mecum illîc morari uolentes. Nec uerò diutius in uinculis me eſſe paßi ſunt: ſed cum eorum unus ſolui me iußiſſet, alter uincula quàm arctißimè etiam constricta protinus ademit. Ego uerò id tum ab eis petij, ut cum primum Leucippen rediſſe cognouiſſent, ad me reuerterentur. Intereà Melites promiſſa mente agitans, ſpe, metuq́; angebar: eratq́; eadem utriuſque & cauſa, & origo. Poſtera autem cùm iam illuxiſſet dies, Soſthenes ad Therſandrum, Satyrus ad me, reuerſus eſt. Ac Therſander quidem Soſthenem, quid de Leucippe feciſſet, ad morem'ne ſibi gerendum perſuaſa eſſet, interrogauit ſtatim. Ille autem ueritate ſuppreſſa, neſcio quid aptè ſanè commentus, Negat quidem illa, inquit: uerùm ego id ex animo proficiſci non puto; nam contumeliam tantùm timere mihi uidetur, ne ſe uidelicet, cum ſemel potitus fueris, eijcias. Tum ille, Atquî, quod ad hanc rem attinet, inquit, formidare deſinat. Etenim, ut ingenuè fatear, tam altis radicibus deſiderium eius in animo infixum eſt meo, ut nullo unquàm tempore inde auelli poßit. Illud tantummodo uereor, ac ſcire aueo, reuerà'ne adoleſcentis illius illa uxor ſit: uti à Melite mihi ante narratum fuit. Hæc ultrò, citroq́; colloquentes ad Leucippes domunculam peruenerunt: quam cum ad miſerabilem ſonum uocem inflectentem procul ſenſiſſent, taciti ante fores clàm conſederunt, ut, quæ loqueretur, exaudirent. Sola enim ſecum ita propemodum lamentabatur. Hei mihi ò Clitophon,

phon,(id autem nominis frequenter repetebat) neque tu ubi ſim,aut quo in loco cuſtodiar,noſti: neque ego,quæ te habeat fortuna, ſatis ſcio. Sed alter alterius ignarus, miſeram uterque uitam uiuimus. Nunquid autem domi te deprehendit Therſander? num tu quoque contumeliam paſſus es? mihi quidem non ſemel in animo fuit, Soſthenem de te interrogare: uerùm quomodo id facerem,non inueniebam. Si enim, ut de coniuge meo,rogaſſem: metuendum fuit, ne inde aliquid periculi tibi conflarem, Therſandrum in te concitans. Sin, ut de hoſpite aliquo: hinc etiam ſuſpicioni locus eſſe poterat. Quî enim curet mulier,quæ nihil ad ſe pertineant? Sed quid ego hæc loquor? immò uerò ad rogandum me quàm ſepiſſimè comparaui: nec tamen ad id linguam inducere unquam potui, tametſi mecum identidem hoc queri non deſiſterem. Vir Clitophon, unius Leucippes fide, & conſtans uir, quem alia nulla, etiam cum eo cubans, mulier pellexit (quanquam id ego amoris affectu propè iam uacua minimè credidi) te'ne ego tanto poſt tempore ruri conſpicata diſſuauiari ceſſaui? Sed quidnam Therſandro, ſi forte rurſum interrogaturus adſit, reſpondebo? Equidem detracta perſona, rei totius ueritatem omnem adaperiam. Ne me mancipium uile Therſander exiſtimes. Byzantiorum præfecti filiam, & Tyrij adoleſcentis, uiri primarij uxorem eſſe ſcias. Ego nec Theſſala ſum, nec Lacænæ mihi eſt nomen: hæc piratica eſt contumelia, per quam nomen etiam mihi ademptum fuit. Coniux mihi eſt Clitophon, patria Byzantium, pater Soſtratus, mater Panthia. Quæ quanquam uera ſunt, tamen credi nolim, ne id Clitophonti noceat. Vereor enim ne, ſi hæc credantur, importunum libertatis meæ deſiderium coniugem

iugem

iugem meum chariſsimum perditum eat. Agedum igitur ſuppoſititiam perſonam rurſus induam, Lacænamq́; iterum me ſimulabo. His cognitis Therſander paulùm retrocedens, atque ad Soſthenem conuerſus, Audiſti'ne, inquit, amoris plena, ſed tamen fide carentia uerba? quàm multa dixerit? quàm grauiter conqueſta ſit? ut ſeipſam incuſauerit? omnino adulter mihi præfertur. Latro iſte (opinor) etiam ueneficus eſt: eum Melite amat, cũ amat Leucippe. Vtinam ego quoque, ò Iupiter, Clitophon fieri poſsim. Tum Soſthenes, Haudquaquam ò here, inquit, labori cedendum eſt: ſed potius puellam adeundum. Nec uerò moueat te, quòd flagitioſum mœchum iſtum nunc amet: tandiu enim illum obſeruabit, quandiu alterius conſuetudine carebit. Quòd ſi tu in illius locum ſemel ſucceſſeris (longe homini pulchritudine antecellis) eum penitus obliuioni tradet. PRIOREM ENIM flammam nouus ignis extrudit: mulierq́; ita comparata eſt, ut præſentem quidem maximopere amet: abſentis uerò nõ, niſi tantiſper dum alio caret, reminiſcatur. Itaque ſimul ac alter acceſſerit, prior animo prorſus eijcitur. Tunc animum deiectum Therſander erexit. PERFACILE ENIM, quæ rei optatæ conſequendæ ſpem afferunt, credi ſolent: animiq́; uis illa, qua deſiderium mouetur, ſi concupitæ rei ſpes aliqua affulſerit, eam ipſam ſpem multò etiam firmiorem facit. Therſander igitur poſt ea, quæ Leucippe ſecum locuta fuerat, aliquantiſper immoratus, ne quid exaudiſſe uideretur, uultuq́; ita, ut ſe tractabiliorem uiſum iri ſperabat, compoſito, ad eam tandem ingreſſus eſt: In quam oculos uixdum coniecerat, cùm deſiderio exarſit totus, utpote cui longè, quàm prius, formoſior eſſe uiſa eſt. Ignis enim tota nocte (quo

tempore à puella abfuit) enutritus, ipso puellæ aspectu materiam flammis suggerente, recanduit statim: parumq; abfuit, quin ad eam sese applicaret: sustinuit tamen se paulùm, illiq; aßidens, alia ex alijs inania, minimeq; inter se cohærentia uerba effutire cœpit, (id quod amantibus usu uenire solet, si quando cum amica ijs sermonem habere contingit. ,, NEQVE ENIM *in loquendo mentem adhibent: sed animo in eam intento, ore tantùm, ullo absque rationis moderamine, uerba inaniter fundunt) nec diu tamen loquendo prouectus est, cùm osculaturus brachia collo iniecit.* Quamobrem Leucippe *uultum demisit, in sinuq; occuluit.* Ille *autem nihilominus in complexu perstans puellæ, ut suauiandam se præberet, instare: puella contrà faciem magis, magisq; obtegere, osculaq; pernegare.* Verùm *cum eiusmodi luctæ satis temporis datum esset, amatoriæ rixæ cupido hominem inuasit.* Leuam *itaque manum mento subdidit, dextera autem capillos apprehendit, ac summa ui, ut eam altè spectare cogeret, trahere orsus est.* Tandem *cum* Thersander, *siue assecutus, siue non, seu etiam defessus, uim afferre desisset,* Leucippe *ad eum,* Neque *ut liberum, inquit, neque ut generosum uirum decet, facis: sed etiam tu* Sosthenem *imitaris, hero planè dignum seruum.* Sed *abi iam, neque quicquam assequi spera, nisi fortè* Clitophon *fias.* Quæ *cùm ille audiuisset, uix sibijpsi constitit: ita amore, atque ira pariter æstuabat.* ,, AMOR PORRÒ, *atque ira duæ sunt animi faces: hæc enim suum ipsa quoque ignem habet, naturà quidem amori prorsus contrarium, potentia uerò persimilem.* Odio *nanque altera, alter beneuolentia prosequi cogit.* Diuersa *quinetiam utrique est sedes: nempe hæc in iecore, in corde ille, moram trahit.* Ho-

minem

minem igitur cùm ambo occupauerint: animus eius, tanquam in libra quadam collocatus pendet: eorum enim uterque uim suam librat: & utram ad partem uergat, identidem pugnat. Quòd si ex sententia rei optatæ compos fiat, proculdubio amor superior euadit. Sin è contrario negligi se perspiciat, iram sibi auxilio aduocat: illaq́;, utpote uicina, uocanti paret: simulq́; ambo ignem excitant. Cùm uerò amorem domestica sede eiectum ira conculcauerit, desideriumq́; repreßerit, iam tum naturâ infida, non tanquam amico ad aßequenda optata fert opem, sed tanquam seruo potius imperat: neque cum amato amplius conciliari sibi curæ est, tametsi maximè poßit. Ita ille furore præpeditus opprimitur, atque ad proprium imperium reuerti uolens, minimè sui compos est: quinimmò amatum odisse compellitur. Demùm ubi satis, superq́; ira se mœrore cumulauerit, licentiæq́; plena exundauerit, præ satietate tandem ægrescit: ægrescensq́; remittitur. Amor autem uires denuo sumit, desiderióque iterum munitus iram iam cedentem domo sua prorsus exturbat. Animo deinde reputans contumelias, quibus in amatum bacchatus est, mœret: tum sese purgat, rursumq́; ad familiaritatem inuitat, iram uoluptate delinitam esse affirmans. Ita fit, ut quæ optauerat, aßecutus mitescat: contrà uerò neglectus, iræ rursum adaperiat uiam: quæ sopita excitatur, atque, ut antea, sæuit. Amoris enim contemptui præstò semper est ira. Thersander igitur initio quidem uoti compotem futurum se ratus, Leucippæ totum se dediderat: uerùm ubi spe frustrari se animaduertit, conceptarum animo uoluptatum oblitus, puellam in maxilla percußit, Mancipium (inquiens) improbum, atque omni prorsus libidine elatum (omnia enim

de te mihi comperta sunt) an'non igitur boni consulis, tecum me loqui? an'non magnam felicitatem arbitraris, herum tuum dissuauiari? quinetiam uotum dissimulas, uultumq; ad desperationem componis: sed ego te meretriciam uitam duxisse hactenus reor: quae adulterum huc etiam secuta sis. At tu, quando in amicum recipere me negas: iam iam fixo, ut dominum experiare. Tum Leucippe, Si tyrannum, inquit, agere tibi cordi est, ut potero, feram, praeterquàm quòd uim inferri mihi passura non sum. atque ad Sosthenem conuersa, Testare (inquit) tu, quo animo contumelias feram: quandoquidem maiore ipse contumelia me affecisti. Tum Sosthenes, utpote qui iam manifestò teneretur, rubore perfusus, Hanc ò here, inquit, loris usque eò caedere oportet, dum tota rubeat, modisq; omnibus excruciare, ut herum posthac contemnere desinat. Sostheni tuo pare, (inquit Leucippe) ò Thersander: perbellè enim consulit: ac tormenta, quae lubet, parari iube: haud certè deerit, quo uestram crudelitatem expleatis, siue loris caedere in animo sit, siue flammis torrere, seu etiam ferro iugulare: nouum proculdubio uobis spectaculum dabitur: nempe supplicia omnia una perferet, superabit'que mulier. Atqui adulterum quoque Clitophontem uocas, cùm tu potius ita uocandus sis: qui nec Dianam tuam (si Dijs placet) ueritus, uirginem in uirginis ciuitate uitiare conatus es. Quid tuae nunc ò Hera sagittae cessant? Te uirginem? (inquit Thersander) ô ridiculam audaciam: uirginem, inquam, quae cum praedonibus etiam de nocte fueris? Quid? illi'ne tibi (obsecro) eunuchi facti sunt? Benè habet, piratarum receptaculum in philosophorum scholam euasit: aut eorum nemo (opinor) oculos habuit. An post

uim

uim á Sosthene mihi intentatam (inquit Leucippe) uirginem semper me seruauerim, ex eo ipso sciscitare: qui reuera in me prædonem egit. Piratæ certè uobis modestiores fuerunt: nullus enim eorum tale quicquam in me ausus fuit. Cùm uerò huiusmodi uos facinus audeatis: cur non hanc latronum sedem meritò appellem, præsertim cùm ea perpetrare non uereamini, á quibus illi abstinuerint? Sed nescis quantum mihi laudis tua ista impudentia sit allatura. Vt enim, uel nunc, me furenter interficias: non deerunt tamen unquam, qui dicant, Leucippe inter pastores uersata, & post Chæreæ raptum, & post Sosthenis uim inuenta est uirgo. Sed mediocria ista: illud multò maximum erit præconium, Leucippe post piratarum omnium improbißimi Thersandri uiolentiam pudicitiam conseruauit: prius'que se iugulari passa est, quàm uiolari. Age igitur flagra, rotam, ignem, ferrum expedi: sociumq; tibi adiunge consiliarium tuum Sosthenem. Ego & nuda, & sola, & fœmina unicum habeo scutum, libertatem scilicet: quæ nec loris cædi, nec ferro secari, nec flammis aduri potest: hanc ego nunquam dimittam. Nam, ut me comburere pares, nullum tamen certè inuenies tàm potentem ignem, ut eam mihi eripere queas.

LIBER SE-PTIMVS.

THERSANDER *igitur, cùm Leucippen in ſententia tâm obſtinatè permanere uideret: animo fluctuare, ac diſtrahi cœpit. Nam & mœrebat, ſua ſe ſpe fruſtratum cernens: & iraſcebatur, negligi ſe ratus: interdum uerò, utpote amans, quid ageret, cogitabat. Has inter animi fluctuationes, ira quaſi permotus, penè in Leucippen impetum facturus exiluit: ſed tamen ad ambiguitates eiuſmodi dijudicandas mentem colligens, tandem inito cum Soſthene conſilio Archontem, penes quem uinctorum poteſtas erat, adiuit: meq; ut ueneno de medio tolleret, rogauit. Quod cùm impetrare non potuiſſet, (timuerat enim populi ſeueritatem: qui alium ante ſe ueneficia huiuſmodi exercentem morte mulctauerat) ab eo rurſum petijt, ut adductum à ſe hominem in eo loco, ubi ipſe uinctus eram, tanquam maleficum aliquem immitteret: de quo res meas cognoſcere ſe uelle comminiſceretur. Cui poſtulationi aſſenſus ille hominem admiſit. Porrò is à Therſandro quàm diligentiſſimè inſtructus erat, ut aliquo modo de Leucippe mentionem faceret: eamq; Melites iuſſu è uiuis ſublatam mentiretur. Quod iccircò à Therſandro excogitatum fuerat: ut ne ego, quãuis crimen diluiſſem, ad quærendam eam, de cuius obitu certior factus eſſem, me compararem. Ea uerò potiſſimum de cauſa cædis auctor Melite proponebatur: ne Leucippe interfecta Meliten ipſam, tanquam mihi amatam, in uxorem ducerem, ibiq; permanerem Therſandro incutiens timorem, non*

potius

potiundæ tutò Leucippes: Sed ut potius eam, quæ puellam mihi eripuisset, perosus omnino urbe excederem. Ille igitur simul ac propius me uenit, fabulam agere cœpit. Ex composito enim, atque aptè sanè ingemiscens, Quamnam, inquit, uitam posthac uiuemus? quæ nobis retinendæ securitatis uia deinceps erit, siquidem iustè uiuere ad id satis non est? imminentia nos opprimunt euenta. Diuinasse me oportuit, quis ille esset, qui cum iter mihi facere contigit, & quid agere in animo haberet. Hæc ille, huiusmodiq; alia multa secum ipse solus loquebatur, compositi sermonis initium mecum facere tentans, quò cum, quid sibi ea uellent, interrogarem: sed mea me magis urgebant. Itaque cùm lachrymarum uim effudisset: unus eorum, qui uincti erant (INFELICES ENIM alienas etiam calamitates intelligere satagunt: nimirum quia tristitiæ communicatio mœrentis animi alleuatio quædam est) quid tibi, inquit, mali peperit fortuna? insontem enim te quoque in aduersum fatum incidisse uerisimile est: Cuius rei ex ijs, quæ mihi euenerunt, coniecturam facio. Ac tum quidem, quam ob rem in custodiam datus fuisset, commemorauit: tametsi ego animum non aduertebam. Cæterùm ubi dicendi finem fecit: agedum tu quoque, inquit ille, mihi in recensendis infortunijs tuis uices redde. Tum alter ille, ex urbe, inquit, heri, dum Smyrnam uersus iter cœpissem, nescio quis mihi obuiam factus, quò tenderem, rogauit: cui cùm Smyrnam proficisci me respondissem, atqui Smyrnam ego quoque, inquit ille, (quod benè uertat) cogito. Itaque sumus unà profecti, uiæ laborem, uti uiatorum mos est, sermone leuantes. Cum'que de uia in cauponam cibi gratia diuertissemus: ecce tibi uiri quatuor eodem ingressi sunt: no-

bisq; aßidentes, ac prandere simulantes, crebrò ad nos respiciebant, alius identidem alij annuens: quamobrem de nobis eos cogitare suspicatus sum: tametsi, quid sibi nutus illi uellent, intelligere non poteram. Qui mecum uenerat, haud ita multo pòst pallescere, tum hæsitantius esse incœpit: postremò etiam tremore correptus est. Quod uidentes illi, confestim in nos impetum faciunt, comprehendunt, loris uinciunt: quinetiam eorum unus hominem in gena manu percußit: qui tanquam innumeris cruciatibus affectus, nemine adhuc interrogante, Ego, inquit, puellam interemi acceptis ab Thersandri uxore Melite aureis nummis centum: illa enim ad necem hanc patrandam me cōduxit. Ecce autem nummos ipsos, quos uobis ad unum omneis trado. Vos, quæso, me perdere, ac uosmet lucro defraudare nolite. Tum ego Thersandri, & Melites nomine audito, oratione illa non minus, quàm stimulo aliquo, concitatus, animum erexi: conuersusq; ad illum, quæ'nam esset ea mulier, de qua mentionem fecerat, rogaui. Tum ille, Fœminarum, inquit, huius urbis princeps est, adolescentis cuiusdam (Tyrium illum esse aiunt) amore capta: qui cùm puellam, quam ipse quoque deperibat, casu quodam amisisset, ac tandem in ea ipsa Melites domo uenditam reperisset: Mulier Zelotypia deuicta puellam eam circumuentam huic, quem nunc malo meo fato mecum iter facientem dixi, necandam dedit: atque ille quidem rem confecit: ego uerò (me miserum) neque uidens, neque dicti alicuius, facti'ue conscius, unà cum eo, quasi sceleris particeps, comprehensus sum. Sed hæc leuia: illud multò grauius est. Nam non admodum longè à caupona digreßi illi, nummis acceptis, eum missum fecerunt: me autem ad Præfectum duxerunt.

Post

Posteaquàm turbulentam hanc fabulam audiui: neque uocem omnino ullam, neque lachrymas emittere ualui: quippe & ori uox, & oculis humor defuit: sed me stupor oppreßit, cor'que ipsum delicuit: tametsi non adeò, quin aliquantulum animi relictum fuerit mihi. Quam ob rem paulopòst mœrore, quem ex eo sermone conceperam, sedato, Quonam modo, inquam, mercenarius iste puellam substulit? quem in locum cadauer proiecit? Ille autem simul atque mihi stimulum hunc iniecit, fabulæq́; quam agendam susceperat, actum perfecit, obmutuit adeò, ut ne uerbum quidem amplius ab eo potuerit extorqueri: præterquàm quòd, cùm rursus interrogassem, Videris mihi, inquit, tu quoque cædis illius particeps fuisse. Ac de interfectore quidem illud unum tantum audiui, puellam uidelicet necatam: ubi uerò, quo'ue modo, mihi aperire noluit. Tum uerò mihi lachrymæ exciderunt, mœroremq́; per oculos in apertum protulerunt. VT ENIM corpore flagris cæso, non continuò, sed „ parua interiecta mora, liuor apparet: aut ut in eo, qui „ apri dente percussus sit, non statim uulnus cernitur, ut= „ pote quod altius penetrauerit: sed breui tempore pòst „ alba quædam linea uulneris index oritur, ac tum uulnus „ ipsum palàm fit: Sic animus, tametsi tristi aliquo nuncio „ ictus uulneratur, non tamen uulnus hiat, aut lachrymæ, „ quas uulnerati animi sanguinem esse, credi par est, pro- „ siliunt, nisi postea, quàm mœroris dens aliquantisper „ corda uellicauerit. tunc enim & animus discinditur, & „ lachrymæ facta per oculos uia uberrimè fluunt. Itaque simulac in animum meum illapsa sunt, quæ de Leucippes morte narrabantur: dolore exanimatus sum, lachrymisq́; aditus obstructus est ita, ut non, nisi pòst aliquantò,

illo remisso, effluxerint. Ac tum quidem, inquam mecum, quis me Dæmon tam paruo gaudio illexit? quis mihi Leucippen commonstrauit, ut nouum mihi Calamitatum argumentum esset? Cuius ego aspectu, quo uno contentus, ac felix eram, nunquam exaturari potui. Nunc quidem certè uoluptas ista somnio mihi similis fuisse uidetur. Hei mihi, quoties obijsti mea Leucippe? nunquam'ne mihi à fletu cessandum erit? minimè, opinor. ut enim uideo, alia indies alij succedit mors. Verum alijs antehac mortibus fortuna mihi ludos fecit, hic autem nequaquam ludus est. Sed quo pacto Leucippe mihi nunc erepta fuisti? Antea quidem solatij aliquantum mihi ex falsis illis mortibus relictum fuit: primùm enim cadauer tuum integrum, dein capite ablato sepulturæ dandum recepi: nunc uerò duplicem omnino, nempe animo, & corpore mortem subisti. Nam quid latronum receptus duos effugisse profuit, si hoc Melites receptaculum te mihi abstulit? Quid? quòd scelestus, & improbus ipse necis tuæ auctorem non semel osculatus sum, detestabili amplexu foui, ueneris fructum illi prius, quàm tibi, impartitus sum. Hæc dum mecum ipse solus quererer, Clinia se ad me contulit: quem ego de re tota certiorem feci, mihi'que omnino mori decretum esse, affirmaui. Tum ille, Bono, inquit, animo esto: quis enim scit, an alicubi uiuat adhuc? nonne sæpe mortua est? nonne sæpe etiam reuixit? quid temerè te enecas? Id profectò tibi per ocium licebit: cùm eam reuera perisse cognoueris. Nugaris, inquam ego: nam quomodo id certius intelligas? Quinctiam morti uiam quàm optimam nactum me esse arbitror: atque eiusmodi quidem, ut nec Dijs inuisam Meliten omnino inultam sim dimissurus. Decreueram (ut scis) siquidem ita sors ferret,

obic

341

obiectum adulterij crimen in iudicio diluere: Sed nunc diuersam prorsus rationem inire in animo est: nempe culpam agnoscere, meq; (quod amantes facere solent) una cum Melite ad Leucippes cædem faciendam hominem conduxisse, fateri: sic illa meritas pœnas dederit, ego inuisam uitam reliquero. Bona uerba, inquit tum Clinia: an tu igitur tam turpem ob causam mori audebis, interfector scilicet, præsertimque Leucippes creditus? NIHIL, inquam, turpe est, quod inimico detrimentum „
afferat: & nos in hoc sumus. Cæterum haud ita multo „
post hominem illum cædis falsæ delatorem nescio quis è uinculis exemit: Archontem iußisse, inquiens, ipsum adduci, ut eorum, quæ sibi obijciebantur, rationem redderet. Intereà Clinia, Satyrusq; me consolabantur, suadebantq;, ut ne quicquam in iudicio, sicuti decreueram, faterer: sed frustrà. Porrò illi conductam domunculam interdiu inhabitabant, ne apud Melites alumnum deprehenderentur. Postridiè ad forum ductus sum: quò Thersander aduersus me complura, accusatoresq; non pauciores, quàm decem adduxerat: nec uerò pro sui defensione minus solicita erat Melite. Posteaquàm igitur illi sermoni finem imposuerunt; mihiq; facta est dicendi potestas: Atqui, ego inquam, hi quidem omnes, qui & pro Thersandro, & pro Melite causam dixerunt, non nisi meras nugas attulerunt. À me uerò rem omnem, uti se habet, fideliter, & diligenter exponi audietis. Erat mihi olim amica, genere Byzãtia, Leucippe nomine: quam decessisse ratus (in Aegypto enim à piratis mihi rapta fuit) in Meliten incidi: qua cum inita consuetudine, huc unà profectus sum: Leucippenq; Sostheni cuidam, agrorum Thersandri procuratori, seruientem comperi. Sed

quo

quomodo liberam in seruitutem receperit Sosthenes, quæ'ue illi cum piratis necessitudo intercedat, considerandum uobis relinquo. Melite posteaquàm priorem amicam me inuenisse cognouit, uerita ne ad illam rursus animum applicarem, eius perdendæ consilium init: quod mihi quoque comprobatum est: quid enim uerum negare oportet? Cum'que me illa rerum suarum omnium dominum constituere pollicita esset: ad illam necandam hominem conduxi, nummos aureos centum pollicens. atque ita quidem sicarius re confecta solum uertit: nec ex eo tempore usquam gentium amplius conspectus est. Me uerò de repente Amor ultus est: nam puellæ cæde cognita, pœnitentia ductus, ex illo flere nunquam desij: sed eius desiderio æstuans peremptam nunc quoque amo: neque aliam ullam ob causam memet sponte accuso, quàm ut meam ad amicam me mittatis: quandoquidem in præsentia, & parricida, & eius, quam perdidi, amore flagrans, uiuere amplius non sustineo. Hæc cùm à me dicerentur, inexpectatus rei exitus omneis, imprimisq; Meliten, stupore compleuit. Qui Thersandro Aduocati erant, summa cum uoluptate acclamarunt: Melites autem patroni quænam ea essent, quæ dixeram, rogabant. At illa uehementer perturbata, alia quidem se scire negauit, alia uerò de industria subobscurè admodum confessa est: quanquam, quæ de Leucippe narraueram, omnia, præterquam mortem, uerè à me dicta affirmauit. Quamobrem cùm orationi meæ pleraque conuenirent, eis ipsis Melite in suspicionem uenit, ut quibus ad eam defendendam uerbis uterentur, essent incerti. At Clinia, cùm magna turba in foro esset, in medium progressus, Mihi quoque, inquit, pauca quædam dicendi potestatem

facite:

facite:agitur enim de hominis uita. Quod cùm impetrasset,collachrymans: Viri,inquit, Ephesij moriendi cupidum adolescentem morti temerè damnare nolite: quæ una est infelicibus uiris malorum alleuatio. id enim criminis in se transtulit, ut flagitiosorum pœna mulctatus, inuisam sibi hanc lucem relinquat. Quæ autem ægritudinis eius causa sit, quàm breuißimè potero, paucis exponam. Amicam adolescens is, uti dixit, habuit: neque enim id, nec quæ de piratis, ac Sosthene recensuit, mentitus est. Nam quæcunque sibi ante illius cædem euenisse narrauit, reuera, sicuti ab eo audiuistis, gesta fuere. Hæc è mortalium conspectu dudum, atque improuisò quidem, subtracta est. Quo uerò id pacto factum fuerit, aut interfecta'ne sit, an rapta uiuat adhuc, mihi nondum satis liquet, præterquàm quòd à Sosthene piratarum familiari amatam illam, miserumq; in modum excruciatam didici: tametsi non est assecutus. Is igitur puellam perisse ratus, uiuere amplius uelle negat, seq; iccircò cædis reum emen titur: nam etiam sibi decedere in animo esse, ipsemet est fassus: ac potißimùm ob mœrorem ex mulieris amißione contractum. Vos uerò etiam, atque etiam cogitate, ueri'ne simile uobis uideatur eum, qui alium reuera interemerit, unà cum eo, quem interemit, mori uelle? aut aliquis'ne sit tàm pius sicarius, qui à se necati uiri misericordia motus uitam inuitè ducat? quódnam odium, quæso, tam facilè concilietur? Ne per Deos, ne credite: ne'ue hominem misericordia potius, quàm supplicio, dignum perdite. Quòd si, uti dixit, ipse cædis auctor extitit: agedum mercenarium istum homicidam in medium proferat, occisæ puellæ cadauer indicet. Sin uerò neque interfectorem ullum nominat, neque interemptam commonstrat:

strat: quis unquam cædem huiusmodi audiuit? Amabam, inquit, Meliten: iccircò Leucippen substuli. quam ob rem igitur eius, quam tantopere amat, nomen deferet? cur Leucippes, quam morte affici mandauit, causa mori cupit? quid? aliquem'ne putatis inueniri ita sibiipsi parum constantem, ut quod amet, oderit: & contrà quod oderit, amet? An'non potius credendum est amantem hominem, quanquam conuictum, ut amicam seruet, crimen pernegaturum: ne eius amissæ dolore discruciatus, ipse quoque frustrà uitam amittat? Sed & illud considerandum est, quam ob rem Meliten accusauerit, si nihil tale ab ea patratum fuit. Ego uerò iterum, atque iterum à uobis peto, obsecróque, ut ne me huiusmodi oratione uti existimetis, quò mulierem hanc in inuidiam rapiam: sed rem ipsam ordine explicare. Melite adolescentis huiusce amore flagrabat, de nuptijs'que ante, quàm marinus iste uir reuixisset, habitus fuerat sermo. hic uerò non modò impotenti mulieris amori non respondebat: sed etiam ab eius nuptijs quàm longissimè abhorrebat. Quin etiam amica, quam luce priuatam, uti dixit, credebat, uiua apud Sosthenem reperta, multò magis etiam Meliten auersatus est. Quæ cùm puellam apud Sosthenem inuentam huius amicam esse nondum sciret, illius uicem miserata è uinculis, quibus à Sosthene constricta fuerat, solui iussit, hospitio accepit, ac tanquam liberam, in calamitate aliôqui constitutam, in honore habuit: demùm recognita rus misit, ut in agrorum curam incumberet: post quæ nullo amplius in loco uisam fuisse aiunt. Me autem uera loqui, & Melite ipsa, & ancillæ, quibus cum illa rus missa fuit, testabuntur. Sed illud in suspicionem hunc adduxit, ueritus enim est, ne zelotypiæ furore deuicta

mulier,

mulier, Leucippen de medio tolli iusserit: deinde aliud quiddam sibi, dum in carcere esset, eueniens suspicionem adauxit, hominemq; contra seipsum, & contra Meliten irritauit. Quidam enim ex ijs, qui in custodiam dati fuerant, suam per sese uicem dolens, narrauit se inter eundum in sicarium nescio quem incidisse: qui pretio accepto puellam necasse fassus est: & quæ cædem mandauerat Meliten, quæ necata fuerat Leucippen nominari dixit: quod postremum an ita se habeat, equidem nondum habeo compertum: sed illud uos inquirere par est: nam non admodum difficile factu erit, cùm præsertim eum habeatis, qui de mercenario interfectore in carcere mentionem fecit, quem ea de re interrogandum censeo: adsitq; prætereà Sosthenes, adsint ancillæ: quorum ex altero quæri ius est, unde sibi Leucippe in seruitutem data sit: ex alteris, quomodo è mortalium conspectu sit erepta. Prius uerò, quàm harum rerum omnium inuestigatio à uobis facta sit, neque sanctum, neque pium est, miserum adolescentem perdere, dum insanis eius dictis fidem adhibetis: mœror enim hominem ad insaniam compulit. Hæc cùm perorasset Clinia, multis quidem certè uero consentanea uisa est illius oratio: Sed accusatores, & quotquot Thersandro fauebant, homicidam Deorum prouidentia semetipsum accusantem supplicio afficiendum esse clamabant. Vtinam uerò Melite ancillas in quæstionem dare uoluisset, iustum enim tum fuisset Sosthenem, qui forte Leucippen interfecerat, à Thersandro produci. Quam conditionem cum tandem ij, qui Melites causam agebant, tulissent: ueritus Thersander, ne res in apertum proferretur, quendam è suis ad Sosthenem rus ire clàm imperat, iussum ut quamprimum aliquò profugeret

geret

geret ante, quàm, qui mittendi erant, illò sese contulissent. Ille uiam equo ingressus, quàm ocyßimè periculum nuntiat, quæstionemq; de eo, si se comprehendi sinat, habitum iri affirmat. Erat tum forte Sosthenes apud Leucippen, ut exulceratum eius animum deliniret: multo itaque cum clamore, ac strepitu uocatus exit, re'que cognita pauidus, & iam lictores adesse putans, accepto equo Smyrnam statim contendit: nuntius ad Thersandrum reuertitur. Verißimum autem, ut mihi quidem uidetur, illud est: PAVORE *memoriam obrui solere. nam dum sibi metuit Sosthenes, aliarum rerum omnium protinus oblitus est, ita ut ne domunculæ quidem, in qua Leucippe custodiebatur, fores occluserit.* SERVORVM *enim præcipuè genus, metu aliquo iniecto, excors ualdè est. Intereà Thersander oblatam à Melites aduocatis conditionem silentio inuoluens, Abundè quidem, inquit, iste (quicunque tandem sit) nugatus est: ego uerò stupiditatem uestram non potui non mirari: qui cum sicarium manifestò deprehensum teneatis, tametsi maius est semetipsum accusare, quàm deprehendi, non tandem eum lictori tradatis: sed impostorem non minus appositè comminiscentem, quàm aptè lugentem, sedendo audiatis: quem, utpote cædis participem, sibijpsi quoque metuere arbitror. Quare autem quæstionibus opus sit, in re præsertim tàm aperta, non uideo. Sed & illud ut credam, adducor, aliam eum quoque cædem patrasse. Nam Sosthenes is, quem tantopere efflagitant, iam triduum apud me nusquam conspicitur: neque admodum à uero abhorret, eorum consilio negotium confectum esse, propterea quòd uxoris probrum ab eo mihi renuntiatum fuerat. unde mihi etiam uerisimilius fit, eos illum*

neci

neci tradidisse: scientes'que non habere me quì hominem producam, conditionem istam de eo perquàm astutè tulisse: qui utinam uiueret, eumq; dare liceret. Sed hominem adesse fingamus: Quid'nam, obsecro, aliud ex eo sciscitari oportuit, quàm, puellámne emerit, illámne ab ipsa Melite uindicauerit? Esto sanè, emerit ille, Melite autem uindicauerit: per me enim id fateatur, licet: num quid aliud, si ille adesset, rogari deberet? Minimè hercule. Quid igitur aliud, cùm hæc Sosthenes fassus sit, quàm absolui merito suo debuit? Verùm hinc nunc iam ad Meliten, Clitophontemq; mea conuertatur oratio. Nam quid de mea mihi subtracta ancilla factum est à uobis? erat enim uerè ancilla mea. Id autem non aliam ob causam callidus Thersander dictitabat, quàm ut Leucippen, si fortè uiua iterum reperiretur, in seruitutem redigeret. addebat insuper & illa: Clitophon quidem puellam se interemisse fassus est, ac se cædis reũ fecit: Melite uerò negat. Sed eam ancillarum indicia redarguunt. Nam si eas Leucippen à Melite accepisse, necdum postea reddidisse constiterit: quid de illa factũ credamus? Quid, inquiet, rogas? omnino emissa est. Verùm, inquam, ad quem? Neminem certè proferunt: tacent. An'non igitur manifestum est unum aliquem, qui ei mortem afferret, ab ipsis conductũ? id quod clam ancillis factum fuisse credi par est, ut ne uulgatum inter plures testeis negotium maius periculum haberet. Nam eam quoq; reliquerunt, ubi latronum multitudo delitescebat: ut uerisimile sit eas, quid isti molirentur, minime uidisse. Atquì de quodam etiam in custodiam dato, & qui cædis huiusce mẽtionem fecerit, nescio quid commentus est. sed quisnam est hic, qui Præfecto quidem uerbum nullũ, isti uerò cædis arcana omnia, uno tantum

ſicarij nomine ſuppreſſo, palàm fecit? Num quando tam ineptis nugis aures præbere, negociumq́; huiuſmodi ludo habere deſinetis? quid uos? cenſetis'ne hunc abſq; nutu diuino ſemetipſum accuſare? Hic cùm Therſander finem *dicendi feciſſet, iureiurando etiã, quid de* Soſthene *actum fuiſſet, neſcire ſe affirmans, uiſum eſt* Iudicum Principi *(erat is regij generis, penes quem dijudicandarum capitalium cauſarum poteſtas erat: tametſi è ſenioribus, uti legibus ſancitũ fuerat, conſiliarios haberet, quos, quid ſibi faciendum putarent, conſulebat) uiſum eſt, inquam, communicato cum collegis negotio, morte me ſecundũ legem mulctare: qua cautum aiebat, ut qui ſe cædis accuſaret, morti addiceretur.* De Melite *uerò iudiciũ aliud, habita de ancillis quæſtione, fieri:* Therſandrumq́; *ſcripto iuſiurandum mandare debere, ſe omnino, quid de* Soſthene *actum eſſet, ignorare: ex me autem, uti iam peracto, per tormenta quæri oportere,* Melite'*ne cædis conſcia extitiſſet, decretum fuit.* Iamq́; *detractis indumentis, in ſublime raptus pendebam, alijs lora, nonnullis ignem, atque rotam afferentibus,* Cliniaq́; *interim collachrymante, ac* Deorum *opem implorante: cùm de repente* Dianæ *ſacer dos* Laureatus *ad forum aduentare uiſus eſt: quod nobis argumento fuit,* Deæ *ſacrificia inſtare.* Quæ *cùm fieri cõtingit, à ſupplicio tantiſper abſtinere oportet, dum rei diuinæ impoſitus ſit finis: itaq; tum ſolutus ſum.* Porrò *ſacrorũ auctor erat* Leucippes *pater* Soſtratus. Nam *cùm* Byzantij *ex bello, quod aduerſus* Thracas *geſſerunt, coràm apparente* Diana *uictoriam reportaſſent: æquum cenſuerunt ei* Deæ *ſacrificium facere, pro auxilio præbito gratiam tanquam referentes.* Priuatim *uerò* Soſtrato *etiam ipſi noctu* Dea *inſomnis apparuerat: natamq́; illũ,*

cv

& fratris filium Ephesi reperturum prædixerat. Per idem tempus Leucippe domunculæ fores patẽteis nacta, ueritaq; ne Sosthenes, quem exisse uiderat, forte fortuna ante ianuã adhuc consisteret, posteaquam eum nusquam cõspexit, firmiore animo esse cœpit. Cùm enim sæpe antea, & ex insperato quidem, maximis se ex periculis ereptam fuisse in memoria haberet: tum quoq; spem cõcepit, ac fortunæ beneficio uti decreuit. Nam cùm non procul ab agris illis Dianæ templũ esset, domo egressa Leucippe, in illud se recepit. Porrò autem delubrum istud liberis mulieribus inaccessum quondam erat: uiris autem, & uirginibus patebat: cùm capitale aliòqui esset mulieres ingredi, præterquã seruas ab hero in ius uocatas: ijs enim ad Deam confugere licebat. Ac tum quidem Archontes inter ancillam, herumq; sententiam ferebant. Si enim non iniustè ancillæ nomen herus detulisset: eam rursum in seruitutem recipiebat, fugæ memoriam se non amplius habiturum iureiurando affirmans: sin autem ancillam iustè queri compertum fuisset, tũc ea Deæ ministerijs addicta, illic remanebat. Sostrato igitur sacerdotem, qui quæstionem differri iuberet, ad forum ducente, Leucippe templum ingressa est: parumq; abfuit, quin in patrem incideret. Me uerò, simul ac dimissa concione solutus sum, ingens multitudo circũstetit: atq; alij quidem uicem meam dolebant, nonnulli Deos inuocabant, pleriq; me interrogabant: quos inter astans etiam ipse Sostratus, ut uidit me, protinus agnouit. Nam, ut initio dictum est, Tyri & ipse quondam erat, cùm Herculis dies festus ageretur: illicq; diu admodum ante fugam nostram moratus est: quapropter homini facile fuit me cognouisse, præsertim cùm in somnis quoq; se nos reperturum, monitus fuisset. Itaq;

propius me accedens, Hic *mehercule, inquit, est* Clitophon: Leucippe *uerò ubi?* Tum *ego illo agnito, uultum humi defixi: qui aderant, quæcunq; contra memetipsum peroraueram, omnia recensuerunt.* At *ille perquam grauiter ingemiscens, caputq; percutiens, in oculos mihi inuolauit, ac propemodum effodit. nec enim resistere homini audebam, quinimmò faciem iniuriæ præbebam.* Sed *eius impetum progressus in medium* Clinia *compreßit, hominemq; redarguens,* Quid *tu, inquit, agis? cur'ue tàm temere in eum sæuis, qui maiore, quàm tu, amore* Leucippen *prosequitur? qui leto se sponte obiecit, propterea quòd eam diem obijsse crediderat: atq; alia præterea multa, quò furorem eius placaret, addidit.* Ille *autem* Dianam *idẽtidem inuocans, ita ferè conquerebatur:* An *tu me hac de causa huc uenire uoluisti* Dea? *hæc'ne sunt, quæ mihi in somnis prædixisti?* Ego *quidẽ certè somnijs tuis habui fidem: natamq; apud te reperturum me credidi: sed egregium sanè munus, nempe illius interfectorem nactus sum.* Tum Clinia *somnij mentione audita, mirum in modum gauisus,* Bono *animo, inquit, esto pater: neq; enim mentitur* Dea: *salua tibi est (uaticinijs meis crede)* Leucippe: Nonne *uides, ut hunc etiam è tortorum manibus eripuerit?* Interea *æditùorum unus, concitato admodum gressu ad sacerdotem ueniens, puellam quandam peregrinam ad* Dianam *confugisse palàm nuntiauit.* Quibus *auditis, ego spem concepi, oculos sustuli, ac tanquam reuiuiscere uisus sum:* Clinia *uerò* Sostrato *rursus,* Vera, *inquit, pater mea sunt uaticinia: conuersusq; ad æditùum, formosa'ne illa esset, rogauit.* Cui *æditùus,* Nõ *aliam, inquit,* Diana *excepta, formosiorem uidi.* Tum *ego lætitia exultans, exclamaui,* Leucippen'*ne ais?* Maximè *inquam, ait ille: hoc*

enim

enim nomine ipsam se uocari, sibiq; patriam Byzantium, patrem Sostratum esse, dixit. Clinia igitur lætabundus plausum edere cœpit, cum Sostratus interim præ gaudio exanimatus esset. ipse saltu me ad sidera è uinculis dedi, mox ad templum, tanquam aliquo tormento impulsus, conuolaui. Custodes fugam me arripuisse putantes, insequebantur, ac obuios quosque ad me comprehendendum clamore aduocabant: sed pedibus mihi alas accessisse dixisses. Tandem nescio qui me insanientis more currētem apprehenderunt, nec manus à me continuerunt. Verùm ego audentior iam factus, contrà niti, illi me ad carcerem ducere pergebant. Intereà Sacerdos, & Clinia præstò fuerūt. Cliniaq; prior, Quò hominem, inquit, ducitis? hic certè nunquam cædis, cuius eum damnare contenditis, reus fuit. Sostratus quoq; eadem ferè singillatim repetebat: eiusq;, quam peremptam putabant, parentem se affirmabat. Qui aderant, re cognita, Dianæ numen laudibus extollebant: meq; circumstantes ad carcerem duci uetabant. Custodes autem, cùm ad se non pertinere dicerent, eum, qui iam damnatus esset, missum facere: Sacerdos, Sostrato orante maximè, mei, cùm opus esset, sistendi uas est factus. Itaque uinculis solutus, quàm ocyssimè potui ad fanum Dianæ perueni, meaq; uestigia Sostratus persecutus est: sed nescio an æquè lætus, atq; ego. Verissimum autem illud esse cognoui, FAMA nihil celerius esse: quæ ,, tametsi ualdè properaremus, nos tamen antegressa Leucippen, cum de alijs omnibus, tum de Sostrati patris aduentu fecerat certiorem. Nam simul ac nos uidit, è delubro egressa patrem quidem complexa est: oculos uerò in me conuertit: qui tametsi ob Sostrati præsentiam uerecundans ab amplectendi cupiditate, qua uehementissimè

flagrabam, me continerem: lumina tamen in eius uultu uicißim defigebam: ita mutuis nos obtutibus inter nos salutabamus.

OCTAVVS LIBER.

AT Therſander, cùm nos pòſt aliquanto ſeſſuri, atque eis ipſis de rebus inter nos collocuturi eſſemus, concitato admodum greſſu, teſtibusq; nonnullis ſecum ductis, fanum ingreſſus eſt: uocisq; contentione quàm maxima ad Sacerdotem conuerſus, His (inquit) audientibus teſtor, haudquaquam fas eſſe, hominem capite damnatum è uinculis eximere. Tu uerò ancillam meam quoque, impudicam quidem illam, & in appetendis uiris ad inſaniam uſq; effuſam, domi tuæ abſcōdiſti: quam quo iure à me liberali cauſa manu aſſerturus ſis, peruelim ſcire. Tum ego & ſeruam, & impudicam Leucippen uocari audiens, animo uehemētiſſimè commotus, orationemq; tam contumelioſam non ferens, ipſo nondum tacente, Tu quidem, inquam, triſeruus es, & inſanus, & impudicus: Leucippe & libera eſt, & uirgo, & Dea digna. Quibus ille auditis, Conuiciaris, inquiens, uincte, & damnate, quanta maxima potuit ui os mihi ſemel, atque iterum ita contudit, ut cruor è naribus ſtatim manarit. Cùm uerò etiam tertiò me percußiſſet, dexteram labris imprudēter impactam dentibus illiſit: ac uulneratis digitis ingemiſcens, cūctanter ſanè, manum retraxit: ita dentes ſauciata dextera narium iniuriam ulti ſunt: & manus, quæ intulerat, uulnera accepit. Quam ob rem ille præ uulneris dolore

lore effœminatè admodum lugens, manu ad se reuocata, deinceps uim inferre destitit. Ego uerò digitorum uulnus animaduertisse dißimulans, uimq; mihi illatam querens, clamore templum repleui: Quónam tandem crassatorum uiolẽtiam fugiemus? Quos post Dianæ numen, Deos adibimus? in ipsis templis uapulamus: ante religiosißimas Deorum aras plagæ nobis imponuntur. Atquì desertis tantùm in locis, ubi nullus adsit testis, facinora huiusmodi committi solent: tu uerò coram Dijs ipsis regiam potestatem exerces: Cumq; Deorũ Augustæ ædes sontibus præsidio esse constet: ipse innocens, & supplex (me miserum) ante aras ipsas, Dea ipsa uidente, uulnus accepi. Iam uerò quis percußiones istas Dianæ illatas esse neget? quanquam ne his quidem contenta fuisset huius ebrietas: nisi & uulnera, qualia in bello, atque pugna ferri consueuerunt, intulisset, pauimentumq; humano sanguine fœdasset. At uerò quis unquam Ephesiæ Dianæ hoc pacto sacra fecit? Barbarorũ huiusmodi quidem certè institutum est. ac quanquam apud Tauros, Scythasq; solos Deæ huius altaria cruore humano conspergi receptum est: tu tamen Ionia, ut Scythia esset, Ephesiq; non alius, quàm in Taurica insula, cruor manaret, effecisti. Quin igitur ensem quoq; in me stringis? sed quid ferro opus est, cùm gladij munere fungatur manus? cruenta enim, cædibusq; assueta dextera tua, id nunc patrauit, quod in populari aliqua occisione uix cõmissum fuisset. Hæc dum ego lamentarer, ab ijs, qui in templo erant, concursus ad me factus est: ac nonnulli etiam ex eis hominem increpare cœperunt: quin & sacerdos ipse Num te, inquit, hæc in tẽplo præsertim, tamq; apertè, facere pudet? Quamobrem ipse animo iam confirmato, Hoc equidem, inquam, pacto uiri

Ephesij acceptus sum, homo liber, & urbis non obscuræ ciuis. Ab isto enim in summum uitæ discrimen adductus, perieram planè: nisi patefactis tandem facinorosi hominis calumnijs me præsenti suo numine, atq; auxilio de manibus eius Diana eripuisset. Nunc mihi è templo exire, faciemq; abluere opus est: hîc enim nunquam id facere ausim, ne uidelicet sacri latices cruore per contumeliam effuso polluantur. Interea Thersander, cùm uix è delubro nonnulli eum protruderent, huiusmodi quiddam inter abeundum solus locutus est: Tu quidem, quod ad causam tuam attinet, iam damnatus es, singulareq; de te supplicium sumetur: de scorto uerò isto uirginitatem mentiente, Fistula iudicium faciet. Posteaquam ille abijt, egressus ipse faciem ablui: cumq; accumbendi tempus iam esset, à sacerdote peramanter accepti sumus. Ego uerò eorum, quæ in Sostratum admiseram, conscius, oculos in eum palàm conijcere non audebam: quod & ille præsentiens, me contueri pariter uerecundabat. Leucippe quoque nil aliud, quàm terram intuebatur, ita ut iniucundum esset conuiuium totum. Tandem procedente potu, Bacchoq;
„ pudorem paulatim leniente: IPSE enim libertatis est
„ auctor: primus ad Sostratum conuersus sacerdos, Quin tu igitur, inquit, ô hospes narras qualis tandem hæc sit fabula uestra? mihi sanè non insuaueis quasdam ambages in se continere uidetur: præterea uino quoque sermones huiusmodi maximè conueniunt. Tum Sostratus, loquendi occasione hinc sumpta, Mea quidem, inquit, fabulæ pars simplex est. Sostrato mihi est nomen: genus à Byzantijs duco, atq; adolescentis quidem patruus, puellæ autem pater sum. Cætera, uti acta sunt, effare tu Clitophon metu omni prorsus abiecto. Nam si quid mihi acerbi contigit: haud

haud equidem tibi, sed Fortunæ tribuendum est. Ad hæc, MALORVM præteritorum commemoratio tantùm " abest, ut eum, qui euasit, mœrore afficiat, ut etiam ma- " gnoperè delectet. Tum ego quæ mihi, postcaquam Tyro " profugi, euenerunt, singula ordinatim recensui, nauigationem scilicet, naufragium, Aegyptum, pastores, Leucippes abductionem, fictum apud aram uterum, Menelai calliditatem, amorem Præfecti, Chæreæ pharmacum, piratarum rapinam, uulnus femoris, cuius tum quoq; cicatricem ostendi. Vbi uerò ad Meliten uentum est: quæcũq; mihi agere contigit, quanta maxima potui modestia, mendacio'que nullo prorsus intermisto narraui. Ac primùm quidem Melites amorem, continentiam meam: deinde quandiu me illa orauerit, quandiu ipse illam spe frustratus sim: tum quæcunq; locuta, quæcunq; conquesta est omnia: prætereà quæ in naui, dum Alexandria Ephesum proficisceremur, acta sunt: nempè ut simul ambo cubuerimus, à meq; illa tanquam à muliere mulier surrexerit: postremò meam erga mulierem obseruantiam, cœnam item, falsamq; mei accusationem, & cætera omnia ad Sostrati usq; aduentum perspicuè, ac diligenter, unico tantum facto meo prætermisso, commemoraui: atq; hæc quidem, inquam, quæ de me dicerem habui. Leucippes autem facta meis multò maiora sunt: seruiuit enim, terram fodit, capitis decus amisit: id quod tonsura ipsa declarat. Vnumquodque deinde, sicuti actum erat, uerbis executus sum, ita, ut cùm de Sosthene, Thersandroq; facienda esset mentio, diligentius multò, quàm de me, omnia recensuerim, id etiam aliòqui spectans, ut puellæ ipsi, patre præsertim audiente, rem gratam facerem. Aerumnas enim, inquam, contumeliasq; omneis, una excepta, perpessa est:

intactaq́; ita, ut Byzantio discesserat, in hanc usque diem permansit. Neque uerò id mihi laudi dari uelim: qui fuga arrepta nihil eorum, ob quæ fugiebam, molitus sum: Sed ipsi potius, quæ inter piratas etiam integram se, castamq́; seruauit: piratarumq́; omnium maximum, Thersandrum, inquam, inuerecundum, & uiolentum deuicit. Nos uerò, & consultò quidem, nauigationem suscepimus pater: uerùm ad id amoris nimia ui compulsi sumus, ut meritò illa mutuò amantium fuga dici poßit. quinetiam in itinere fratres unà ambo facti sumus: Virginitatemq́; ipse meam, si qua uiris inest uirginitas, impollutam adhuc Leucippæ seruo, quandoquidem ipsam quoq; Dianæ cultui iampridem addictam esse perdidici. At tu, hera Venus, ne nobis tanquam neglecta succenseas. Noluimus absente patre nuptias facere: nunc adest pater: quare adsis tu quoq;, nobis iamtandem propitia. Quæ cùm illi audiuissent: Sacerdos quidem præ admiratione obstupefactus est: Sostratus uerò tandiu lachrymas profudit, quandiu de Leucippes incommodis actum est. Posteaquam dicēdi finis à me factus est, casus equidem, inquam, nostros recensui omneis: nunc unum ipse quoque ò Sacerdos audire peruelim: nempe quid illud sit, quod postremò abiens Thersander Leucippæ interminatus est, Fistulæ mentione facta. Tum ille Rectè sanè, inquit, rogas: æquū enim est ut, qui rem istam, uti se habet, scimus, uos edoceamus. Tum ego, Atqui parem, inquam, tibi gratiam referam. Vides'ne igitur, ait ille, post templum nemus? In eo spelunca est, mulieribus quidem inaccessa, uirginibus uerò minimè. paulò intra specus ualuas Fistula sita est: quod instrumentum si apud uos Byzantios in usu est, iam quid dicam, intelligitis: sin autem è uobis aliquis est in hisce musicis minus uersatus,

agedum

 314

agedum quale sit, omnemq; de eo fabulam explicabo.

Ἡ σῦριγξ αὐλοὶ μὲν εἰσὶ πολλοί, κάλαμοι δὲ τῶν αὐλῶν ἕκαστος. αὐλοῦσι δ' οἱ κάλαμοι πάντες, ὥσπερ αὐλὸς εἷς. σύγκειται δὲ στιχηδὸν ἄλλος ἐπ' ἄλλον ἡνωμένος. τὸ πρόσωπον ἰσοστάσιον, ὡς τὸ νῶτον, καὶ ὅσοι εἰσὶ τῶν καλάμων βραχὺ μικρῶν λειπόμενοι, τούτων μείζων ὁ μετὰ τοῦτον. καὶ ὑπὲρ τοῦ δευτέρου τοσοῦτον, ὅσον τοῦ δευτέρου μείζων ὁ μετὰ τοῦτον τρίτος. καὶ τὸν λόγον οὕτως οἱ λοιποὶ τῶν καλάμων. χορὸς ἕκαστον τὴν πρόοδον ἴσον ἔχων. τὸ δὲ ἔσω μέσον ἐστὶ τῷ πλευτῷ. αἴτιον δὲ τῆς τοιαύτης τάξεως ἡ τῆς ἁρμονίας διανομή. τὸ μὲν γὰρ ὀξύτατον ἄνω. καὶ ὅσον ἐν τῷ κάτω πρῶτον βαρὺ τῆς ἕδρας ἑκάτερον ὁ ἄκρος ἔλαχεν αὐλός. τὰ δὲ μεταξὺ τῶν ἄκρων τοῦ ῥυθμοῦ διαστήματα, πάντες οἱ μεταξὺ κάλαμοι ἕκαστος ὑπὲρ τὸν πέλας τὸ ὀξὺ καταφέρων, ἐς τὸν ὑπὲρ τελευταῖον συνάπτει βαρεῖ.

Porrò fistula hæc, si quis eam ori admoueat, eadem prorsus, quæ & Palladis tibia, refert. uerùm hîc digiti modos temperant, illîc artificis os manum imitatur. hîc tibicen foramina, uno duntaxat excepto, per quod spiritus effluat, obstruere consueuit: illîc artifex alios liberos dimittens calamos, uni tantum, quem sonum edere uelit, os admouet: transilitq; ab alio ad alium, ubicunque sit concentus suauior: ita circùm calamos labra illius identidem feruntur. Fistula autem quondam neque tibia, neq; calamus fuit: sed uirgo supra quàm quis iudicare posit, formosa. Quæ cum sui amore captum Panem Deum fugeret, densam admodum syluam subiuit. Ille autem uestigijs

conse

consequens tandem puellæ manum iniecit: cumq; capillis comprehensam tenere sese arbitraretur, pro coma calamos sibi apprehensos animaduertit: quos, cùm uirginem terræ hiatus absorbuisset, pro illa statim enatos aiunt. Hos igitur, utpote amicam sibi suam eripientes, iræ impotentia deuictus succidit. Verùm puella, quam sub calamis latere putabat, non inuenta, facti conscientia commotus, quòd amicã leto se dedisse crederet, lachrymas profundere cœpit, ac mox calamos desectos, perinde ac si puellæ membra essent, colligens, in unumq; componens, manibus continere, ac dissuauiari perrexit: ita dum amatoriè ingemiscit, ipsisq; calamorum sectionibus suspirans oscula infert: calamos intrauit spiritus, perq; angustias eorum means, edidit sonum: atq; hoc quidem pacto Fistula uocem nacta est. quam deinceps à Pane intra specum illum collocatam, conclusamq; fuisse, Deum autem ipsum illò frequenter uenire, ac de more canere solitum, constans est fama. Per tempora uerò posteriora, gratiam à Diana se inituros arbitrati, regionis huiusce incolæ, Fistulam ei consecrauerunt, pactione facta, nullam, nisi quæ uirgo esset, fœminam ad eam descendere se passuros. Quam ob rem cùm puellæ alicuius pudicitiam inhonestè habentis nomen defertur, populus ad speluncæ usq; fores eam ducit: Fistula autem de ipsa iudicium facit huiusmodi. Quæ accusatur, stolam ad id ritè comparatam induta, descendit in antrum, postesq; ab uno aliquo statim obserantur: ac tum quidem, si puella intacta sit, dulcis quidã, ac penè diuinus exauditur sonus (siue quòd canorum spiritum intra calamos reconditum locus ille habeat: siue quòd Pan ipse forsitan canat) nec multo pòst antri fores sponte recluduntur, uirgoq́ue pineis frondibus redimita

conspicitur. Sin uerò uirginem se mentita fuerit, pro fistulæ cantu fletum quendam spelunca emittit, populusq; muliere inibi relicta, confestim abit. Virgo autem sacerdos, loci illius antistita, tertio demum die specum ingressa, fistulam quidem humi delapsam, mulierem uerò nusquam reperit. Id discriminis uobis subeundum erit: cuius qui sit futurus exitus, etiam, atq; etiam cogitate. Quòd si Leucippe uiri adhuc est expers, id quod ipse sanè cupio, læto animo periculum facite, propitiam uobis Fistulam habituri: cuius iudicium nemini unquam fraudi fuit. Sin minus: uos enim scire debetis, quàm multa uerisimile est eam, uel inuitam, pertulisse, cui tot pericula subire contigerit. Tum Leucippe, ante quàm cœptum sermonem perficeret sacerdos, Quod ad me, inquit, attinet, ne solicitus sis: ego enim antrum istud promptè ingrediar: neq; mihi dubium est, quin sponte fores aperiantur. Optimè loqueris, inquit tum Sacerdos: tuamq; tibi continētiam, atque fortunam gratulor. Sed cùm iam aduesperasset, nostrûm unusquisque, ubi præscripserat Sacerdos, somno se dedit. Clinia nobiscum haudquaquam cœnauerat, hospiti enim oneri esse nolebamus: sed eò se receperat, ubi pridie illius diei fuerat diuersatus. Cæterùm Sostratus ijs, quæ de fistula narrata fuerant, auditis, subuereri nobis uisus est, ne uerecundia erga se nostra ad uirginitatem mentiēdam adduceremur. Quamobrem ego puellæ clàm annui, ut patri timorem illum eximeret. Quo enim modo id ei persuaderet, didicerat: idemq; mente agitare uidebatur: nam quid sibi nutus meus uellet, statim intellexit: seq; ad id quàm appositissimè iam comparatam ostendit. Itaq; cubitum itura, salutato patre, Bono, inquit, animo esto pater, dictisq; fidem habe: nemo enim nostrûm, per

Dian

Dianam, quicquam mentitus est. Postridie paratis sacrificijs periculum facturi Sostratus, atq; Sacerdos affuere. Conuênit uerò etiam rei diuinæ particeps futura concio: Quæ lætis interim acclamationibus Dianam laudando extollere non cessabat. Thersander autem (aderat enim & ipse) coram Præside astans, Vadimonium, inquit, nobis in crastinum differ: nonnulli enim eum, quem tu heri damnasti, iam missum fecerunt, Sosthenesq́; nusquam apparet. ita uadimonium in alterum diem dilatum est: nosq́; intereà, ut paratiores etiam sisteremus, operam dedimus. Igitur cùm tandem uadimonij dies aduenisset, Thersander hunc in modum exorsus est: Quibus utar uerbis, undéue dicendi initium sumam, quos prius, quos posterius accusem, haud satis scio: multa enim, & à multis audacter facta, mihi dicenda sese offerunt, magnitudine inter se paria, & manifestiora, quàm ut hac in accusatione à me referri debeant: quanquam ea, quæ animus concepit, uereor ut oratione explicare poßim, aliarum præsertim rerum memoria linguam ad se trahente. Quippe dum ad illa, quæ nondum dicta sunt, festinat oratio, facultatem eripi mihi sentio, quominus res iam susceptas absoluam. Etenim cum aliorum seruos adulteri necent, alienas cõiuges sicarij uiolent, Lenones à supplicijs eripiantur, sanctißima denique templa meretrices profanent, sitq́ue prætereà, qui ancillis, herisq́; dierum rationem præscribat: iam quid non audeat is, qui post habita legum reuerentia, & adulterij reus, & sacrilegij, ac cædis, de Rep. male meritus sit? Vnum aliquẽ iam, quæso, quauis etiam de causa (nihil enim refert) capitis damnate, atq; in custodiam supplicio seruatum dari iubete, ut is demum niuea pro uinculis stola circundatus uestro in conspectu astet,

atque inter liberorum ordines reus sedeat. Quid? quòd forte uocem etiam emittere, ac contra me, aut nos potius, urbisq; nostræ Decreta, disserere audebit? RECITA PRAESIDVM, CONSILIARIORVM'QVE DECRETVM. *Auditis'ne quam de isto sententiam ipsi tuleritis? aut potius decretum uestrum non agnoscitis? Iudicatum quidem certè est, atq; à uobismet iudicatum, Clitophontem neci dandum esse. Vbinam igitur es lictor? quin hunc sublimem raptum abducis? quin ei uenenum præbes? iam enim lege mortuus est, supplicijq; abijt dies. Quid ais tu grauissime, atque ornatissime antistes? quá'nam, obsecro te, lege cautum est, ut qui à concione, summisq; Magistratibus uinculis, & morti sint addicti, à Iudicum seueritate uindicari, catenisq; solui debeant? Tibi'ne maiorem fortasse, quàm præfectis, ac tribunalibus potestatem attributam censes? Descende à solio tuo Præfecte, huicq; imperium, ac iudiciorum auctoritatem omnem permitte: nec quicquam tibi posthac in quempiam iuris sit: nequaquam tibi in scelestos animaduertere liceat: sed iste hodie, quem uoluerit, dimittat. Quid uerò tu, tanquam priuatus aliquis, inter nos astas? quin potius ascendis, atque in Præsidis solio sedes, nobis posthac ius dicturus, uel, si mauis, regnaturus, legum omnium, & iudiciorum auctoritate neglectà? Neque uerò te hominem puta, sed cum Diana ipsa pariter te coli iube: cuius honorem tibi turpiter arrogasti. Nam quanquam ad eam solam confugientes ad se seruare, sine iudicio præsertim, pertineat, neminemq; illa unquam in custodiam datum soluerit, neminem è lictorum manibus eripuerit, (infelicibus enim, non impijs præsidio esse consueuerunt aræ Deorum) tu tamen inuentus es unus, qui reos*

è carceribus emitteres, damnatos absolueres. Quod, quid aliud sit, quàm Dianæ auctoritate antecedere uelle, non uideo. Cæterùm quis unquam delubrum carceris loco inhabitauit? quod nunc planè fieri constat: nempe sicarius, atq; adulter apud intactam Deam moratur. O indignum facinus, coram uirgine mœchum astare. Quid? quòd unà cum eo aderat quoq; mulier impudica sanè, atque fugitiua? tu enim, uti uidimus, illam hospitio, conuiuioq́; accepisti: fortè uerò etiam in templo hoc, tanquam meretricia aliqua in cella cum ea simul cubuisti sacerdos, Dianæq́; fanum in adulterorum, & scorti contubernium cõmutasti: in quo non minus inhonestè, quàm scortatores lenonia in domo, cuncti uersati estis. Hæc mihi, quæ primo loco de ambobus hisce dicerem occurrerunt: quorum alterum iam tandem supplicio affici iubete. Nunc, ut de adulterij rea Melite uerba faciam, locus postulat. qua in re nequaquam oratione mihi est opus: quandoquidem ex ancillis, habita de eis quæstione, ueritatem inquiri debere sancitum est. eas igitur postulo: quæ si, dum torquebuntur, in hoc permanserint, ut dicant, nescire se damnatum istum, qui domi meæ non solùm mœchi, uerùm etiam mariti loco fuit, cum ea multò antea consuetudinem eiusmodi habuisse, illam utiq; iam nunc ab omni prorsus accusatione liberam dimitto: Sin minus: eam, uti lege cautum est, dote priuari, hunc autem debitas mœchis pœnas, mortem scilicet, dare oportere censeo. Qui an ut adulter, an ut parricida, utriusque reus cùm sit criminis, pereat, non magni refert: quanquam enim pœnas dederit, tamen dedisse non uidebitur, utpote qui semel necatus alterius quoque mortis reus futurus sit. Reliquum nunc est, ut de serua hac mea, uenerandoq́; sene isto, qui eius patrem se

mentitur,

mentitur, sermonem faciam: sed usq; eò differre mihi animus est, dum de hisce omnibus decernatur: atque hic ille dicendi finem fecit. Tum uerò in medium procedens Sacerdos, homo ad dicendum impiger, & in Aristophanis lectione haud oscitanter uersatus, sanè quàm urbanè, & comicè in flagitiosam Thersandri adolescentiam inuectus, Probos hercule uiros, inquit, córam Dea tam petulanter maledictis insectari, oris est omnino impuri. Is autem non hic modò, sed alibi etiam paßim effundendis contumelijs paratam semper habuit linguam: quippe adhuc impuber cum impudicißimis quibusque uersatus, omnem in hoc ætatem consumpsit. Cumq; à pudore quàm longissimè abesset, disciplinarum tamen se studiosum simulans, continentiam præ se ferebat, identidem ijs obnoxius, atq; obsequens, qui pro libidine se abutebãtur. paterna enim domo relicta, conductum à se tugurium inhabitauit: ac partim quidem in foro cantitans, partim uerò nemini eorum parcens, quos ad ea, quæ cupiebat, idoneos cognosceret, quæstum fecit: atq; his artibus cùm animum suum excoleret, prauitatem tamen dißimulabat. Vidimus uerò, ut in gymnasijs quoq; membra inungeret, stadiumq; circuiret, itemq; adolescentes, quibus cum luctatus est, ad fortiores præsertim sese applicans: qua in re illic etiam corpore abutebatur: atq; hæc quidem adolescens. Nam posteaquam uirilem ætatem attigit, quæcunq; ab eo clàm antea gesta erant, palàm fecit: iamq; natu grandior, cùm ad ea patienda, quæ alteri facere collibuerat, exoleuisset: nihil pensi habuit, nisi unam ad petulantiam linguam exacuere: qua semper ad turpitudinem ita usus est, ut in omneis conuitia euomuerit: eam, quam animo antea conceperat, procacitatem præ se ferens usq; eò, ut quem uos

sacerdotio dignum iudicauistis, córam uobis tam petulanter exagitare non sit ueritus. Quòd si mihi alibi, quàm in uestro omnium conspectu uixisse contigisset: copiosius utique de me, rebusq́; meis uerba facere aggrederer. Sed quando mecum ipsi scitis, quàm procul semper uitam duxerim ab ijs, quorum iste me insimulat, ea tantum refellam, quæ mihi ab eo nunc crimini dari uideo. Soluisti, inquit, morti addictum: atque hìc quidem uehementer admodum indignatus est, tyrannum me uocans, aliaq́; permulta in me acerbißimè iactans, quasi demum tyrannus is sit, qui insontes, & indemnatos, non qui calumniatores, seruat. Sed age, obsecro, quibus'nam legibus tu peregrinum hunc adolescentem in carcerem primùm intrusisti? quis Præsidum id censuit? quibus iudicijs homo uinciri iussus est? sed fateamur omnium, quæ asseris, reum esse: nónne prius inquiri, argumentisq́; conuinci iubent leges? quarum auctoritas in te, aliosq́; omneis imperium habet: neq; enim cuiquam in alium sine iudicio animaduertere fas est. Quòd si tu tibi hoc arrogas, cur non igitur forum claudis, curiam demoliris, magistratus eijcis? nam quæ tu mihi ante Præsidem obiecisti, iustius in te, ueriusq́; dici possunt. Assurge Thersandro Præses: tu enim uerbò tenus tantum hanc dignitatem obtines: hic autem, quæ te facere decet, immò quæ ne tu quidem facere auderes, omnia solus facit. Tu consiliarios habes, sine quibus nihil tibi decernere licet: sed neque quicquam est, quod tu pro tua auctoritate statuere audeas ante, quàm hoc in solio considas: nec enim quempiam domi tuæ in uincula conijci iuberes. At generosus iste, populus, consilium, præses, præfectus, omnia denique unus est factus: domi punit, ius dicit, uinciri iubet: ac iudicij quidem tempus est uespera.

O iud

O iudicem nocturnum, egregium sanè, & lepidum: qui nunc quoq; identidem exclamat, Reum, neciq; seruatum soluisti. At quem reum? quam necem? rogo te, damnationis causam eloquere. Cædis, inquies, est condemnatus: interfecit igitur. At quænam ea est, quam interfecit? potes'ne ostendere? minimè hercule: quam enim necatam asseris, coràm astare uides: nec tamen adhuc te pudet, hominem cædis accusare. neque enim puellæ simulachrum istud est: neq; aduersum te mortuam ad nos misit Pluto. Tu potius cædis, & duplicis quidem, damnandus es: qui puellam uerbo necasti, adolescentem re occidere uoluisti. quinimmo eam ipsam quoq; re necaturus fuisti: nobis enim quæ ruri facere conatus es, omnia sunt comperta: Verùm magnum Dianæ numen utrique adiumento fuit, alteram è Sosthenis, alterum è tuis manibus eripiendo. Sed & Sosthenem, ne ueritas ex eo cognosci posset, tute procul amandasti. nonne igitur uides non te hos peregrinos accusare: sed, quod in te summum fuit, calumniandi studium demonstrare? Hæc habui, quibus obiecta mihi ab isto crimina diluerem: nam quod ad peregrinos istos attinet, suo ipsi arbitratu per me quidem, causam agant suam. Igitur cùm Melites patronus, uir omnino haud obscurus, pro me uerba facturus esset, alius quidam (ei Sopatro nomen erat) Thersandri aduocatus orationem eius anteuertens, Atquì meus, inquit, optime Nicostrate, sic enim ille uocitabatur, hìc est contra mœchos istos dicendi locus: posterior uerò tuus: Thersander enim hactenus nihil aliud, quàm in Sacerdotem inuectus est: ac ne minimam quidem eorum, quæ ad reum istum pertinent, partem attigit. quam ob rem cùm una, & item altera morte dignum eum probauero, tum erit tibi quoque diluendo-

rum criminum tempus. Quæ cùm dixiſſet, facie prorſus perfricta, atque ad mentiendum compoſita, Sacerdotis equidem, inquit, fabulam omnem audiuimus, petulantem ſanè, ac turpem: qua non niſi falſa in Therſandrum crimina commentus eſt, ſumpto præcipuè ab ijs ſermonis in eum exordio, quæ de ſe dici metuebat. Therſander enim eorum, quæ in ipſum dixit, nihil quicquam mentitus eſt: quippe & reum è uinculis exemit, & ſcortum hoſpitio accepit, & cum adultero diuerſatus eſt. Is autem dum Therſandrum in inuidiam trahere ſtudet, uitam eius culpando, omnia per ſummam calumniam egit. „ SACERDOTEM autem ſi quid aliud, illud certè imprimis decet, linguam à calumnijs habere quàm alieniſſimam: ut eius in eum dicta retorqueam. Cæterùm ut ad ea ueniamus aliquando, quæ poſt actam fabulam omiſſis ambagibus palàm elocutus eſt, conquerens manifeſtò deprehenſum mœchum à nobis in uincula coniectum fuiſſe: non potui non uehemẽter admirari, quid ſit cauſæ, quamobrem in exoletis iſtis defendendis tantopere Sacerdos elaborare uoluerit: tametſi me id diuinaſſe puto. Nempe adulteri huius, & ſcorti faciem contemplatus eſt: quorum altera formoſa ſanè, ac tenerioris ætatulæ, alter non modò non deformis, ſed aſpectu etiam blandus, ad ſuas ipſius uoluptates idoneus eſt iudicatus. Horum igitur uter te magis delectat? ſimul enim omnes perpotatis, ſimul diſcumbitis: neque ullus eſt noctium ueſtrarum ſpectator. Quàm uereor ne Dianæ templum in Veneris commutaueritis! Sed de ſacerdotio, ſiquidem te honore iſto dignari oportet, hactenus reſponſum ſit. Nam quod ad Therſandri mores attinet, compertum habent omnes, quàm modeſtè, ac temperanter à teneris uſq; unguiculis uitam duxerit: qui

qui cum primùm per ætatem licuit, uxorem secundum leges duxit: quanquam in faciendo de ea iudicio, se ipse fefellerit. Dum enim generi, & fortunis credit, eam sibi adiunxit, quam non duxisse honestius omnino fuisset. Nam uerisimile non est, illam nunc primùm peccare cœpisse: tametsi optimum uirum id hactenus clàm fuit. Nunc turpitudinem eius omnem, quandoquidem ad summum iam peruenerat, hic rei exitus cunctis tandem patefecit. Viro enim peregrè profecto, tempus illud ad cupiditates suas explendas opportunum rata, exoletum istum adolescentem ad eam rem misera cepit (quæ enim miseria maior esse potest, quàm eum habere amatorem, qui inter fœminas uiri, inter uiros fœminæ munus obeat?) quem non sat habuit in aliena ciuitate in stuprum illexisse: nisi tanto maris spatio peragrato huc perduxisset, unà cum illo interim semper cubans, atq; in naui cernentibus cunctis uoluptatem capiens. O libidinem terræ, mariq; communẽ. Adulterium quidem sunt quæ committant, sed semel tantùm: quòd si rursus quoq; in eandem turpitudinem delabantur: certè factum eiusmodi mortaleis omneis cælant. Mulier uerò ista, non modò sub tubicine, uerum etiam sub præcone, se obscœnè semper oblectauit. Adulterum cognouerũt Ephesij omnes, eam tamen ne tantulum quidem puduit unquam. Hæc ornamenta, formosum scilicet mœchum istum, ne sine corollario à peregrina terra domum reuerteretur, egregia mulier sibi comparauit, ac tanquam pretiosas aliquas merces secum aduexit. Atquî uirum, inquiet illa, perisse putabam. Rectè sanè: nam si ille obijt, cui dubium sit, quin absolui debeat? uiro enim è uiuis sublato, adulterij nomen tolli necesse est: cùm labefactari matrimoniũ nequeat, nisi superstite marito uxor

pudicitiam inhonestè habeat: quæ cæteròqui uiro defuncto adulterij argui non potest, sicut uiuo potest. Tum uerò Thersander nihil dudum antea locutus, Sopatri sermone interrupto, Quod equidem, inquit, ad Meliten attinet, atq; eam, quæ uatis huiusce filia perhibetur, reuera autem serua mea est: has ego, quæstione omissa, conditiones fero. RECITA CONDITIONES. Thersander de Melite, ac Leucippe (sic enim uocari aiunt) conditiones hasce proponit: ut illa, quandoquidem nullam sibi, me absente, cum peregrino isto stupri consuetudinem fuisse ait, id iureiurando affirmet, atq; in sacræ Stygis fontem descendat: indeq;, si peierasse non comperiatur, absoluta dimittatur: Hæc uerò impudica, quā uirginem esse tam constanter asseuerant, fistulæ antrum subeat: &, si uirginitatem posuisse dignoscatur, seruitutem mihi seruiat perpetuam: neq; enim mulieribus, nisi si quæ seruæ sint, Dianæ templum ingredi fas est. Tum nos conditionem accepimus statim: non enim dubium nobis erat, quin Leucippe adhuc uirgo esset. Melite quoque confisa nihil id temporis, quo Thersander abfuit, sibi mecum exceptis sermonibus commune fuisse, atquì ego quoque, inquit, conditionem non respuo: illudq; etiam, quod maximum est, amplius addo: neminē prorsus, aut ciuem fuisse, aut peregrinum, qui cum eiusmodi mihi consuetudo fuerit, cuiusmodi ipse ais: uerũtamen ea lege, ut si meum nomen falsò detulisse deprehendaris, eas tu des pœnas, quibus me dignam censuisti, & quicquid Iudicibus præterea statuere uisum fuerit. Quibus peractis, dimissa est concio, factumq; Decretum, ut postera die de conditionibus experiremur. Porrò autem de Stygis fonte res ita fermè se habet. Virgo erat formosa, Rhodopis nomine, uenatu

gaud

gaudens, pedum uelocitate, iaculandiq; peritia insignis admodum, & cingulum, ac mitram ueste genu tenus succincta, capilloq; detonso, gestare consueta. eam cùm uidisset, probasset'que Diana, uocatam secum uenatum duxit: prædaq;, ut plurimum, inter eas communis erat: quamobrem illa uirginitatem intactam seruare, uirorumq; consuetudinem usquequaque uitare, ac Veneris contumelias nunquam perpeti iurauit: quod simul atque Venus persensit, ira commota puellæ superbiam ulcisci statuit. Fortè accidit, ut adolescens esset Ephesius, inter uiros æquè formosus, atq; inter uirgines Rhodopis: quem Euthynicum appellabant: is & uenandi studio, quemadmodum Rhodopis, tenebatur, & à uenereis uoluptatibus pariter abhorrebat. Igitur cùm uenatum ambo exissent, eò clàm se cõtulit Venus, ferasq; ab eis agitatas alium, atq; alium cursum tenentes, in unum compulit: mox Diana absente, natum conueniens mater, Nonne hos, inquit, nate mysteriorum nostrorum experteis, nobis'que inimicos uides? Quid? quòd puella conceptis etiam uerbis iusiurandum contra me, audacissimum sanè, iurauit. Tu nunc illos ceruam sequenteis cernis: quapropter ipse quoq; uenari incipe, primumq; ab audaci puella uindictæ initium fac. telum tuum omnino certius erit. Ita ambo, in ceruam uirgo, in uirginem Cupido, arcus intenderunt. Nec uani fuere ictus: nam etiam uenatrix ipsa præda fuit: ac cerua quidem in armo, puella uerò in corde uulnus accepit: cuius ea uis fuit, ut Euthynici amore statim flagraret: qui non ita multò pòst pari & ipse uulnere percussus est: ac tum quidem mutuò sese contueri, atque alter in alterum obtutus defigere cœperunt: atque adèo, ut neuter in diuersum aciem uellet inclinare. Cæterùm amborũ uulnera

paulo pòst delinita sunt:amorq; illos in antrum,ubi nunc fons est,deduxit:iusiurādiq; fides illic abrogata est. Postea cùm ridentem Venerem Diana conspicata esset,remq; cognouisset,puellam in fontem commutauit illic,ubi pudorem amiserat. Hincq; factum est, ut cùm puella aliqua uiolatæ pudicitiæ arguitur, in eum fontem descendere compellatur,cuius unda uix medias tibias attingit. Iudicium uerò hoc pacto fieri solet. Iurat quæ delata est, se falsò probri insimulari:iusiurādumq; tabellæ inscriptum eius collo alligatur,tum mulier in fontem descendit: ac si minimè peierauerit,aqua proculdubio immota manet:sin minus,intumescit,atq; ad collum usq; ascēdit,ac tabellam tegit.Hæc dum loqueremur,tempusq; ad uesperam inclinaret,seorsum dormiturus quisq; discessit. Postridiè multitudo uniuersa conuênit: cui uultu hilari præibat,nosq; identidem ridens intuebatur Thersander. At Leucippe sacram induta stolam,zona cincta, uittis purpureis redimita, nudis pedibus perquam decenter specum ingressa est. Quæ dum ipse spectarem, tremore correptus sum: mecumq; solus, Mihi quidem certè, inquam,dubium non est,quin adhuc uirgo sis Leucippe:sed tamen cum mente agito,qui sit Deus iste,timere cogor, ne uidelicet Fistula etiam tu illic fias: illa quidem Panem per aperta insequentem facilè effugit: nos uerò te quasi obsidem, intra ualuas inclusimus, ut ne,si sequatur,fugiendi tibi sit potestas. Sed tu ò here Pan mitis sis,neque loci leges,quas nos quoq; obseruamus,transgrediare: quinimmo Leucippen nobis intactam redde:si quidem eiusmodi cum Diana tibi fœdera icta sunt: neq; uirginem falle. Hæc dum mecum loquerer,suauis exaudiri cœptus est sonus:fueruntq; qui dicerent, suauiorem nunquam auditum fuisse: antri

quoq;

386

quoq; ualuæ sponte statim patuerunt. Ita Leucippe egressa est: multitudoq; uniuersa præ uoluptate acclamare, ac Thersandro illudere cœpit. Ego uerò quantum lætitiæ animo conceperim, nulla unquam oratione satis explicare possem. Hac una, & eadem pulcherrima uictoria nobis parta, inde digreßi ad Stygis fontem peruenimus, ut conditionis alterius periculum faceremus: populusq; non minus, quàm antea, Deam precãdo nobis propitiam reddere pergebat: itaq; omnia illic quoq; nobis ex sententiá successerũt. Tabellam Melite collo alligauit, intrepidoq; uultu in fontem descendit. Vnda, ut erat humilis, ne tantulum quidem, consuetum excesit modũ. Quam ob rem, ubi tempus manendi in fonte præterijt, Præses mulierem dextra prehensam ex aqua eduxit, duobus iam certaminibus deuicto Thersandro: qui, cùm tertio quoque se uictum iri animaduerteret, domum se recepit, ueritus ne á multitudine lapidibus obrueretur: præsertim quòd Sosthenem adducebant adolescentes duo Melites cognati, duo item famuli, ad illum quærendum ab ea misi. Id quod simul ac Thersander procul agnouit, factum indicatum iri uidens, si de Sosthene quæstio haberetur, fuga arrepta, urbe noctu excesit. Intereà Sosthenem in custodiam dari Archontes iusserunt: nos modis omnibus penitus excußi, maxima cum omnium commendatione absoluti fuimus. Postridiè Sosthenes ad Archontes, qui quæstionibus præerant, ductus, simul atq; tormenta sibi parata esse intellexit, continuò & quæ Thersander aggressus fuerat, & quæ ipse illi suggeßisset, palàm elocutus est, unà cum ijs etiam, quæ ante Leucippes ostium priuatim de illa secum ambo disseruerant: ideoq; pœnas daturus in carcerem rursus est coniectus: ac tum quidem abeuntis Ther-

sandri cognita est fuga. Nos ab Antistite, *ut antea quoq;, excepti, quæ priore in cœna dicenda superfuerant, & præsertim, si quid ærumnarum nostrarum prætermiseramus, recensere perreximus.* Leucippe *quoque patrem non amplius uerita, utpote quæ uirgo liquidò inuenta esset, suos casus non sine uoluptate cõmemorabat.* Cui *ego posteaquam ad* Pharum, *& piratas uentum est,* Quin *tu igitur, inquam,* Prædonum Phari *fabulam, capitisq; illîc abscißi ænigma nobis recenses, ut id quoq; pater tuus cognoscat?* Hoc *enim solum ad fabulam omnem intelligendam desideratur.* Tum *illa,* Mulierem, *inquit, ex ijs, quæ pretio prostant, cum allexissent, tanquam nautarum uni eam in uxorem daturi essent, in naui posuerunt, quare adesset, ignaram: sed credentem eorum alicui nuptum iri: cum tamen pirata reuera tantummodo amator esset.* Postea *uerò cùm me rapuissent, remisq;, ac uelis fugæ incumbentes nauem insequentem uiderent, detracto miseræ illi uestitu omni, eo me adornauerunt, meoq; deinceps ornatu indutam illam summa in puppi collocarunt ita, ut à persequentibus cerni posset, ac capite priuarunt: cadauereq;, ut uidisti, in mare proiecto, caput aliquantisper intra nauim retinuerunt: quod non ita multo pòst, cùm iam, qui se sequerentur, amplius non haberent, pariter est deiectum.* Mihi *uerò incertum est, ea'ne de causa, an potius ut, quod de me postea factum est, uænum daretur, mulierculam illam comparassent.* Illud *certè constat, eam mei loco, ut insequentes eluderent, iugulatam.* Existimantibus *fortasse illis, maius ex mei, quàm illius uenditione lucrum se facturos: atque hinc etiam factum est, ut* Chæream, *qui eius necandæ, abijciendæ'que suasor, & auctor fuerat, meritas pœnas dantem uiderim.* Nam *cùm reliqua*

pira

piratarum multitudo ei soli me dimittere negaret, propterea quòd paulò antea mulierem aliam, quæ uendita magno sibi lucro futura erat, sustulisset: uænum dari me mortuæ loco, pecuniamq; in commune conferri oportere, aiebant. Verùm cùm ille causam suam defendendo repugnaret, meq; non lucri, sed amoris, gratia sibi raptam confidenter admodum asseueraret: eorum unus, qui post eum fortè constiterat, meritò quidem, illi caput abscidit. ita ipse quoq; non iniustas rapinæ luens pœnas, in mare deiectus est. Piratæ biduo pòst nescio quò delati, mercatori cuidam familiari suo, mercator Sosthen[i], pecunia accepta me concessit. Tum Sostratus, Posteaquam uestros casus, inquit, filij recensuistis, agedum ex me quoque de Calligone Clitophontis sorore, quæ domi acta sint, audite: ne solus omnino narrandi expers iudicer. Tum ego, sororis nomine audito, factus attentior, Age, inquam, ut lubet pater: siquidem de uiuente dicturus es. Quamobrem ille, quæ antea narraui, recensere cœpit, Callisthenem scilicet, oraculum, diem festum, nauiculam, raptum: illud etiam addens, Callisthenem cùm inter nauigandum resciuisset Calligonen filiam suam non esse, tametsi rem ex sententia sibi successurum non putaret, tamen illam amare nunquam destitisse: sed ad eius genua prostratum huiusmodi ferè esse locutum: Ne me, ò hera, prædonem, flagitiosum'ue aliquem esse putes: qui nobili loco natus, Byzãtiorum nemini genere cedam. Has insidias tibi me, Latronum more, parare amor coëgit: quamobrem tuum me posthac mancipium puta: sponte enim tibi me ipsum imprimis, deinde fortunas, quantas nunquam tibi pater dedisset, trado: quinetiam te, quandiu uoles, intactam ser-

bus (erat enim in dicendo & argutus, & uehemens nimio plus) puellam in suam sententiam pertraxit. Ac posteaquam Byzantium reuersus est, dote ingenti pacta, alijsq; multis, ueste scilicet, auro, cæterisq; rebus ad beatiorum mulierum ornatum spectantibus magnificè præparatis, puellam sanè quàm splendidißimè adornauit, intactamq;, uti tum, cùm eam pellexit, pollicitus fuerat, seruauit. Ipse uerò plerisque in rebus tractandis elegantem, temperatum'que, ac mansuetum se præstitit: adolescentisq; noua quædam mutatio repente facta est. Nam & senioribus assurgebat, & obuijs quibusq; salutem prius reddere studebat, quàm accepisset. Cumq; antea immodicè sui profusus esset, priore luxuria in prudentiam mutata, liberalitate deinceps erga eos, qui egerent, uti cœpit: ut mirarentur omnes, tam subitò ex tam prauo, tam frugi euasisse. Me uerò præ cæteris obseruabat: ipseq; contrà eum admirabar, & priorem luxum admirabile quoddam naturæ artificium potius, quàm ingenij prauitatem fuisse animaduerti: ac mihi tum uenit in mentem illud, quod de Themistocle aiunt: qui cum in adolescentia perquam dissolutus esset, deinceps tamen Athenienses omneis prudentia, & fortitudine superauit. Itaq; me pœnitebat hominem, cùm dari sibi filiam peteret, repudiasse: nam & maximum mihi honorem tribuebat, & patrem appellabat, armatusq; per forum comitabatur. Sed nec à bellicis studijs animus eius abhorrebat: quippe in equestribus certaminibus perquam strenuè se gerebat, utpote qui prima illa etiam intemperanti ætate equis, quanquam temerè, & ad luxum paratis, gauderet. Cæterùm cùm uirili eius robore aucto, sensim rerum quoq; usu, præcipuum in eo studium fuit, res bellicas fortiter, multifariamq; tractare:

multo quin etiam ære suo priuato Rempubl. iuuit, mecum'que unà militum ductor creatus est. unde maiorem quoque mihi honorem habuit, obsequentem se prorsus in omnibus præstans. Postea uerò quàm de hostibus, Dijs ipsis nobis coràm astantibus, uictoriam reportauimus, Byzantium reuersi ad gratias referendas, ego huc Dianæ, ille Tyrum Herculi, missi sumus. Sed prius tamen dextera prehendens me Callisthenes, quæ sibi ob Calligonen acta essent, commemorauit, Eorum (inquiens) pater, quæ antea fecimus, iuuentus naturà audacior causa fuit: quæ uerò pòst, ea iudicio adhibito facta fuere. Virginem enim puellam hactenus seruaui, in bello præsertim, ubi nemo est, qui non se uoluptatibus lubens dedat. Nunc eam Tyrum ad patrem ducere certum est, ut ab eo secundum leges nuptum dari mihi petam. Quod si impetrauero, erit mihi quàm gratissimum: sin difficilis ille, atque morosus spondere negauerit, intactam proculdubio filiam recipiet: quam tamen ego, sanè non contemnenda dote confecta, libenti animo in uxorem ducam. hæc ille: Tu autem hoc tibi habe, pactum fuisse me ante bellum quoque, puellam ei matrimonio copulaturum: cuius genus, dignitatem, militarem disciplinam iam perspectam haberem: iamq; inter nos tota de re conuenisse. Verùm mihi nunc, quod maximopere antea optaueram, Byzantium primùm, deinde Tyrum adnauigare in animo est. Hìc cùm ille dicendi finem fecisset, cubitum quisque nostrûm, ubi pridiè quoque somnum ceperat, se con-

fuisse narrauit. Nos triduum adhuc morati, ad tantum enim temporis uadimonium durabat, ad Præfectum reuersi sumus: recitatisq́; legibus, ex quibus nullam Thersandro accusandi nos causam fuisse apparebat, naui conscensa, lenißimoq́; flante uēto, Byzantium, ubi peroptatas confecimus nuptias, inde Tyrum nauigauimus. Quo in loco, cum biduo pòst illuc aduenisset Callisthenes, patrem ob sororis nuptias postera die sacra facturum comperimus. Affuimus itaque, sicuti polliciti fueramus: Deosq́;, ut nostris omnium nuptijs fauerent, precati sumus, eo consilio, ut hyeme illic acta Byzantium reuerteremur.

*

FINIS.



FINE